DISSERTATIO IVRIS ECCLESIASTICI INAVGVRALIS

De

IVRE SAB-BATHI,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDER. WILHELMO,

REGNI BORVSSICI, PLVRIMARVMQVE IN EVROPA PROVINCIARVM HEREDE.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA,

EX DECRETO ET AVCTORITATE ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS,

PRÆSIDE

DN. IO. SAMVELE STRYKIO, D.

SERENISSIMAE VIDVAE SAXO-ISENACENSIS CONSILIARIO AVLICO, PROF. PVBL. ORDINARIO, ET FAC. IVR. h. t. PRO-DECANO.

PATRONO AC PROMOTORE SVO AD CINERES VSQVE COLENDO,

PRO LICENTIA

Summos in vtroqve iure honores ac priuilegia obtinendi,

D. XVII. Novemb. Anno MDCCII. horis ante & pomeridianis

IN ACROATERIO MAIORI

publice habenda ac defendenda

à

CONRADO LVDOVICO WAGNERO,

Brunſuicenſi.

HALÆ, Typis Orphanotrophii.

Digitized by Google

Serenisſimis Principibus
ac Dominis

DOMINO
RUDOLPHO
AUGUSTO,
&
Dn. ANTONIO
ULRICO,

Ducibus Brunſuicenſibus & Lune-
burgenſibus, ac reliqua

FRATRIBUS GERMANIS FELICITER
IMPERANTIBUS,

Dominis meis longe clementisſimis

S.

Digitized by Google

NIhil eſt, SERENISSIMI PRINCIPES, quod magis conueniat fideli ſubdito, quam vt omnia ſtudia ſua ad eum ſcopum referat, ad quem natus eſt; ſed non nobis tantum nati ſumus, maximam partem patria quoque ſuo quaſi iure ſibi vindicat: ad huius enim commoda & ſalutem promouendam quicquid idoneum non eſt, illi ſi quis tempus impendat, & oleum & operam perdere mihi videtur. Poſtquam itaque per quadriennium fere ſtudiis altioribus, partim in Iulia, partim in hac Fridericiana Academia, eo fine incubui

Digitized by Google

bui, vt liberalibus artibus & polire animum liceret, & præparare, quo patriæ aliqvando vtilem operam præſtare poſſem, nunc valedicturus Academiis, merito ad Vos PATRES PATRIAE eiusque ſalutis moderatores ſapientiſſimos redeo, VOBIS reddens rationes peracti temporis, iudicioque VESTRO ſubmittens, an eum, quem firmisſime mihi propoſui ſcopum, ſim aſſequutus. Hinc vltimum ſpecimen hoc ad VESTROS, SERENISSIMI PRINCIPES, DOMINI CLEMENTISSIMI, pedes depono. Nulla me ad hoc temeritas impulit, ſed inuſitata VESTRA clementia, & aliis, & cum primis parenti meo, vltra XX. annos præfecti ſpartam VOBIS ſuſtinenti, exhibita, rapuit. Accipite ergo, PRINCIPES SERENISSIMI, ſpecimen hoc qualecunque tanquam perpetui obſequii ſignum, ac VESTRA gratia illud dignamini: quod ſi aſ-

ſequutus fuero, ſurgent in ſpes lætiores imbecillia ſtudia mea, & portum exoptatiſſimum inueniſſe cenſebuntur. Interea Deus Vos ſeruet, PRINCIPES PII, FELICES, AVGVSTI. VOSQVE omni felicitatis copia circumdet: dirigat etiam Conſilia VESTRA in ſui diuini Nominis gloriam Patriæque ſalutem, atque feliciſſimo euentu beet: Floreat Reſp. ſub VESTRO regimine, atque in dies maiora & inuidenda capiat incrementa. Ita voueo

VR. VR. SER. SER.

Subiectiſſimus

ſeruus

C. L. WAGNER.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

NOuem præterlapſi menſes ſunt, cùm Diſſertationem DE IVRE LICITI SED NON HONESTI publicæ diſquiſitioni exponerem. Sed poſtquam illa in notitiam aliorum peruenerat, ſtatim varia variorum iudicia ſubire tenebatur, vbi aliis hæc, aliis illa, aliis omnia diſplicebant, nonnulli etiam rem eam indignam ſuo iudicio eſſe exiſtimabant. Cum ergo per Dei gratiam eo res meæ perductæ, vt valedicendum ſit ſtudiis Academicis, antea vero nouum ſpecimen inaugurale edere iuſſus fuerim, animus primo erat, paululum inuerſo ordine, DE IVRE. HONESTI SED NON LICITI, conſcribere diſſertationem, atque ſimul incidenter tela priori diſſertationi obiecta elidere, mentemque meam hinc inde clarius explicare, quam in rem & varia iam collecta erant. Verum quia par-

tim nulla adhuc dubia ſolida protulerunt aduerſarii, quantum in meam venit notitiam, partim etiam aliæ rationes ſuaſerunt, vt iſta materia in aliud tempus differretur, derelicto priori ſcopo, placuit, de alia re, non minus digna meditatione, & in praxi valde vtili, ſcilicet DE IVRE SABBATHI, Diſquiſitionem inſtituere. Vtut enim trita hæc materia forte videatur, ſi quis tamen rem accuratius penſitauerit, facile intelliget, plerumque ex genuinis principiis illud quod iuſtum eſt circa Sabbathum non deriuari, dum alii nimia ſuperſtitione, alii nimia leuitate, hoc negotium peragere conſueuerunt. Nemo exiſtimet falcem me immittere in alienam meſſem, ad Theologos hanc rem, non ad ICtos, pertinere; ſatis hactenus ab aliis reſponſum eſt, non vna vice, ad has miſeras obiectiones. Viuimus per Dei gratiam illis temporibus, quibus excuſſum eſt iugum papale, atque facultas omnibus vindicata legendi & in vſus ſuos conuertendi ſcripturam ſacram. Ex hac Theologus & ICtus quisque quod ad ſuum facit ſcopum haurit, & ſuis commendat. Cum ergo inter *iura Principis circa ſacra* potiſſimum ſit *ius dirigendi & ordinandi cultum diuinum externum*, qui die Sabbathi expediri ſolet, conuenit ſane ICto indagare ex Scriptura S. ori-

ginem

ginem Sabbathi eiusque fundamentum, ac deinceps ad explicanda Ivra, circa hunc diem Principi competentia progredi. Inde in præſenti tractatione *Cap. I. de Origine Vſu & Obligatione Sabbathi, Cap. II. de Iure & officio Magiſtratus circa Sabbathum, Cap III. de Iure priuatorum die Sabbathi, & Cap. IV. de Iure Rituum Eccleſiaſticorum diei Sabbathi*, actum eſt. Fateor, tantum temporis conceſſum mihi non fuiſſe, quantum ardua hæc & vtiliſſima materia, ſi ex merito tractanda, exigit; hinc ſi quædam omiſſa, quæ tangenda fuiſſent, vel alicubi omnibus dubiis non plene ſatisfactum appareat, veniam mihi a ſincero lectore polliceor. Libertatem ſentiendi, qua vſus ſum, nemo mihi inuidebit, qui, amore veritatis ductus, rem hanc ſine vllo præiudicio indagare ſtudui, nec quidquam adieci, cuius hactenus non perſuaſiſſimus ſit animus. Sed cum veritatis vnice ſtudioſus ſim, eadem promtitudine, ſi meliora edoctus fuero, ſententiam meam deſeram. Nihil detractum volo autoritati illorum, qui diſſentiunt, illi vero nihil etiam detrahant veritati æternæ. Quin ſi & a me aliquid ignoranter contra veritatem diuinam ſcriptum ſit, hoc non

ſcriptum eſto. Deus optimus maximus, a quo omnis veritas eſt, nos omnes circumdet diuino lumine ſuo, vt in eo cognoſcamus veritatem, quo & medias inter tenebras huius mundi tuto verſemur, & a tramite recti ne latum quidem vnguem recedamus! Sanctiſſime Pater! ſanctifica nos in veritate Tua, verbum Tuum veritas eſt!

LVTHERVS *Tr. de Captiuitat. Babylon. Eccleſ. T. II. Ienenſ. latin. f. 273. b.*

Neque Papa, neque Epiſcopus, neque vllus hominum habet ius vnius ſyllabæ conſtituendæ, ſuper Chriſtianum hominem, niſi id fiat eiusdem conſenſu, quicquid aliter fit, tyrannico ſpiritu fit.

Id. ibid. p. 274. a.

Pro hac duntaxat clamo libertate & conſcientia clamoque fidenter. Chriſtianis nihil vllo iure poſſe imponi legum, ſiue ab hominibus, ſiue ab angelis, niſi quantum volunt, liberi enim ſumus ab omnibus.

CAP.

α & ω.

Cap. I.

DE SABBATHI ORIGINE, PROGRESSV ET OBLIGATIONE IN NOV. TESTAM.

Conſpectus.

Omnes gentes curam religionis habuerunt. n. 1. 2.
Inde originem habuerunt feſta & ſabbatha. 3.
Sabbathum vnde dicatur varia ſententia 4 ſeqq.
Vera ſententia. 10 ſeqq.
Sabbathum quotuplici ſenſu accipiatur in ſcriptura S. 13 ſeqq.
An Sabbathum a Deo ab initio mundi conditi inſtitutum. 22.
Sententia affirmantium. 23
Eius rationes. 24 ſeqq.
Sententia negantium. 30
Eius rationes. 31 ſeqq.
Noſtra ſententia media. 37. 38.
Reſpondetur argumento (1) aduerſariorum. 39
Locus Gen. II. 3. explicatur. 40 ſeqq.
Noua reſponſio ad illum locum. 43.
An in ſtatu innocentiæ lex de Sabbatho obtinuiſſet. 44 ſeqq.
Alia reſponſio, reſpici d. loc. Gen. ad Sabbathiſmum magnum. 49 ſeqq.
De ſacro ſeptenario numero. 55 ſeqq.
Tertia reſponſio ad d. loc. Gen. 65.
Reſpondetur argumento (2). 66
An a Patriarchis obſeruatus fuerit dies Sabbathi. 67 ſeqq.
Reſp. ad (3) argum. 72 ſeqq.
Reſp. ad (4) argum. 76. 77
Reſp. ad (5) argum. 78 ſeqq.
Reſp. ad (6) argum. 81
An reliquæ gentes diem ſeptimum inſtar Sabbathi coluerint. 82 ſeqq.
An lex de Sabbatho ſit moralis. 88
Sententia affirmantium. 89 ſeqq.
Sententia negantium approbatur. 94 ſeqq.
Ad arg. contraria reſpondetur. 98 ſeqq.
An tota lex de Sabbatho ſit ceremonialis. 109 ſeqq.
An eius obligatio ſuperſit in nouo te-

ſtamento. 114
Neg. (1) *ex natura legis ceremonialis.* 115. 116
(2) *propter Chriſti exemplum & doctrinam.* 117. *ſeqq.*
(3) *propter doctrinam Apoſtolorum.* 123 *ſeqq.*
(4) *& praxin primitiua Eccleſiæ.* 131 *ſeqq.*
De origine diei dominici. 135. *ſeqq.*
Alii eum ab Apoſtolis conſtitutum eſſe aſſerunt. 137 *ſeqq.*
Alii hoc negant. 140 *ſeqq.*
Noluerunt Chriſtiani obligationem legis Moſaicæ de Sabbatho, ad diem dominicum transferre. 146. 147
Quibus ex cauſis dies dominicus cultui diuino deſtinatus? 148 *ſeqq.*
An ad illum obſeruandum ſit obligatio iuris diuini? 153. 154.
Obligat tanquam inſtitutum laudabile Eccleſiæ. 155 *ſeqq.*
An ab operibus abſtinendum die dominico. 161 *ſeqq.*
Concluditur caput verbis Chryſoſtomi. 178.

1 Magnam ſemper religionis ſeu cultus diuini curam habuiſſe ipſos etiam ethnicos populos, tam extra controuerſiam eſt, vt omni probatione ſuperſedere queamus. Interno enim conſcientiæ teſtimonio conuicti erant, nullam, vel publicam, vel priuatam, ſalutem ſperandam eſſe, niſi placato & conciliato Deo. Quam
2 in rem non poſſum non adducere exemplum Zaleuci, legislatoris Locrenſium, qui in prooemio legum, referente Stobaeo *Serm. CXLV. de legibus*, hæc verba habet: *Omnes, qui vrbem ac regionem inhabitant, perſuaſos eſſe oportet, exiſtimareque, Deos eſſe, quod manifeſtum ſit ex cæli & totius mundi inſpectione, rerumque in ipſis diſpoſitione pulcerrima, & ordine. Haud enim fortuita aut humana huiusmodi opera putare conuenit. Deinde colendi honorandique Dii ſunt, vt bonorum omnium nobis autores, quæ aliqua ratione fiunt. Singulos igitur habere*

&

*& comparare animam quemque ſuam oportet, vt ab omnibus ma-
lis pura ſit. Nam ab improbo homine non honoratur DEVS, ne-
que ſumtibus colitur, neque tragoediis capitur, inſtar hominis ma-
li, ſed virtute, ac inſtituto bonorum operum & iuſtorum. Quo-
circa opus eſt vnumquemque pro virili bonum eſſe, tum factis, tum
voluntate, qui modo futurus ſit DEO charus, ET NON METVE-
RE PECVNIARVM IACTVRAM MAGIS, QVAM VITAE ET
FAMAE DEDECORA: & ciuem meliorem exiſtimare, qui opes
amittere mauult, quam honeſtatem & juſtitiam.* Inde ori- 3
ginem habent feſta varia a gentibus etiam introducta, vt,
ſepoſitis aliis negotiis, homines eo tempore victimas ſu-
as Deo offerrent, ipſumque adorarent. Inter illos autem
feſtos dies cum ex præcipuis fuerit dies Sabbathi, apud
Hebræos celebris, nunc de vera eius origine paulo fuſi-
us agere animus eſt, cum alias, quid circa Sabbathum iuris
ſit, nihil ſolide decidi poſſit.

Sed prius vocem deinde rem conſideremus. Vbi 4
non morabor circa iſtam Moeragenis apud Plutarchum
Sympoſiac. IV. 5. 9. cauillationem, qui a *Sabbo* hoc eſt Bacho
nomen deriuat, Thraces enim & Phryges σαβάζιον, Ba-
chum, & σάββυς Bachi Sacerdotes ac Bachanantes, vo-
carunt, quos Græci poſtea imitati ſunt. vid. Voſſ. *lib. 2. The-
olog. Gentil. cap. 3.* Hottinger. *Tr. de Sabbat hoc. 1. §. 1.* Huet.
demonſtr. Euang. propoſ. 4. c. 11. Quorſum etiam facit illo- 5
rum ſententia, qui Sabbathum deſcendere dicunt ab He-
braeo סבא potare, germ. Sauffen / vnde Sabbaia potus
eſt e frumentis coctus. vid. Danhauer. *Deut. Dec. 8. Diſp. de
Precepto 3.* Quæ vocis origines illis forte arriderent, qui 6
ex deperdita hominum forte diem Sabbathi com-
potationibus & commeſſationibus conſumunt, & Bachum
colunt, non verum Deum: quorum numerus vtinam
non plane immenſus foret inter eos etiam, qui ſe Chriſti-
anos

7 anos vocant. Neque approbanda eſt ſententia Appionis
Alexandrini, quam refert Ioſephus *ſecundo aduerſus eum li-
bro* his verbis: *Reddit cauſam quare Sabbathum nominatum ſit.
Exacto enim, inquit, ſex dierum itinere, inguinum vlceribus af-
fecti ſunt: & hac de cauſa ſeptima die quieuerunt, incolumes con-
ſtituti, in regione quæ nunc Iudæa vocatur. Et appellauerunt
eam diem, Sabbathum, ſeruata Aegyptiorum voce. Nam ingui-
nis morbum Aegyptii vocant SABBO.* Add. Boecl. *in Tacit. Hi-
ſtor. lib. 5. c. 4.* Cui Appionis commento affinis eſt Iuſtini
8 Hiſtorici ſententia quam *lib. 30. init.* habet: *Sed Aegyptii cum
ſcabiem & vertiliginem paterentur, reſponſo moniti, eum, (Moſen)
cum ægris, ne peſtis ad plures ſerperet, terminis Aegypti pellunt.
Dux igitur exulum factus, ſacra Aegyptiorum furto abſtulit: quæ
repetentes armis Aegyptii, domum redire tempeſtatibus compulſi
ſunt. Itaque Moſes, Damaſcena antiqua Patria repetita, montem
Sina occupat: quo, ſeptem dierum ieiunio per deſerta Arabiæ cum
populo ſuo fatigatus, cum tandem veniſſet, ſeptimum diem, more
gentis, SABBATHVM appellatum, in omne æuum ieiunio conſe-
crauit: quoniam ille dies famem illis erroremque finierat.* Alia
9 adhuc eſt deriuatio vocis, quam habet Lactantius Firmia-
nus, non tam abſurda quam præcedentes, interim tamen
non vera & genuina, quando ab Hebraica voce *Schebbangh*,
id eſt ſeptem, Sabbathum deducit, dum *l. 7. de præmio di-
uin. cap. 14.* hæc verba habet: *Hic eſt autem dies Sabbathi:
qui lingua Hebræorum a numero nomen accepit.* Quorſum &
collimat Theophilus Antiochenus *lib. 2. ad Antolycum*, ita
ſtatuens: *Hic enim dies, qui ab Hebræis Sabbathum vocatur,
Græcis, ſi quis interpretetur, ſeptimana dicitur.* Veram ergo
10 originem Sabbathum habet ab Hebraico שבת *Schabbath*
quod idem eſt ac *deſiit*, ſeu, *ceſſauit*; quo ſignificatu in co-
gnatis etiam linguis, Chaldæa, Syriaca, Arabica idem ver-
bum venit. Pertinet huc locus *Gen. II. 3. & Deus benedixit*
11 *diei ſeptimæ, ſanctificauitque eam, quia in illa quieuit* כי בו
שבת

Digitized by Google

שָׁבַת *ab omni opere ſuo, Ierem. XXXI. 36. deſinent eſſe gens, Nehem. VI. 3. quare ceſſaret hoc opus? Exod. XX. 8. ſeqq. Lev. XXIII. 32. XXV. 2.* Vnde σαββατὸν, quies, ceſſatio ab opere, **ein Ruhetag /** vocatur. Quæ deriuatio etiam conuenit cum 12
inſtitutione diuina, ſiquidem inferius demonſtrabitur, ideo diem ſeptimum ſtatutum eſſe a Deo per Moſen & præſcriptum Iudæis, vt memores ſint operis creationis, & quod Deus ſeptimo die quieuerit.

Vox autem Sabbathi non vno ſenſu capitur in ſacris 13
litteris, nam non ſemper pro quiete ſeu ceſſatione ipſa accipitur, quæ vera ſignificatio eſt, ſed etiam pro tempore, quo quies eſſe debebat, & quidem frequentiſſime pro die ſeptimo quieti deſtinato. *Exod. XX. 10. 11.* qui dies κατ' ἐξοχὴν Sabbathi voce intelligitur *Exod. XVI. 25. 2. Reg. XI. 5.* Dici- 14
tur etiam Hebræis annus quisque ſeptimus totus Sabbathum; quia Deus iuſſerat, vt eo anno terra otioſa relinqueretur, quo & ipſa quieſcere poſſit, vt debita non exigantur &c. *Leu. XXV. 3. 4.* Qui vocabatur annus remiſſionis *Deut. XV. 1.* Sabbathorum etiam nomine veniebant o- 15
mnia *feſta*, licet in ſeptimum diem non inciderint. *Ezech. XX. 20. ſeqq.* quia in illis, perinde vt in Sabbatho, ab operibus ſeruilibus abſtinere debebant, adeoque non minus dies quietis erant, quam ſeptimi dies. Nonnunquam Sab- 16
bathum pro tota ſeptimana ſumitur, quia ſeptimana ſeptem dierum numerum complectitur. *Leu. XXIII. 25. Luc. XIIX. 12.* Sed & dies ceteri in ſeptimana Sabbatha voca- 17
bantur. Septimanæ enim dies non more gentili vocabant Diem ſolis, lunæ &c. ſed primum Sabbathi, ſecundum Sabbathi &c. non quod omnes ſint quietis dies, ſed quod a Sabbatho denominarentur reliqui dies. *d. Leu. XXIII. 15.*
Sabbathum quoque ſeu annus remiſſionis vocabatur an- 18
nus quinquageſimus, Iubileum dictus, vbi ſeptem Sabbatha annorum computanda erant *Leuit. XXV. 8. 9. 10.* Sabbathum 19

in feſto, quod non vna ſed pluribus peragebatur diebus, peculiariter erat primus & vltimus dies illius feſti *Leuit.*
20 *XXIII. 36.* reliqui intermedii dies vocabantur profeſti. Sabbathum denique magnum vocabant Iudæi tria illa ſolenniſſima feſta, Paſcha, Pentecoſten & feſtum Tabernaculo-
21 rum. Nos per Sabbathum intelligimus ſeptimum diem cuiusuis ſeptimanæ, maxime hoc capite, vbi de eius origine ſumus ſoliciti; quamuis in reliquis huius diſſertationis capitibus eam vocem generalius accipiamus, etiam de die octauo, quem Dominicum vocamus, quia hic in locum quaſi priſtini Sabbathi ſucceſſit.

22 Nunc ergo ad indagandam originem propius accedemus, vbi id quidem omni dubio caret, Sabbathum inſtitutum eſſe a Deo ipſo. Verum an hoc iam tempore primæ creationis, an vero primum a Moſe factum, poſtquam ex Aegypto eduxerat populum iudaicum, nondum expeditum eſt inter Doctores. Nos adductis ſententiis, earumq;
23 rationibus, iudicium noſtrum ſubiiciemus. Prima ergo claſſis eorum eſt, qui ſtatuunt, Deum ſtatim, poſt perfectum creationis opus, vt diem Sabbathi ſanctificent, homines iuſſiſſe, hinc a Moſe Sabbathi obſeruationem non primum iniunctam, ſed legem iam ante a Deo ipſo latam, repetitam eſſe. Et hæc ſententia cum communior ſit, non opus eſt, vt magnum autorum cumulum adiiciam: ingentem numerum ex ſolis Reformatis adducit Andreas Riue-
24 tus *Diſſert. de Origine Sabbathi cap. 1.* Eorum vero rationes potiores hæ ſunt. Prouocant (1) ad textum Scripturæ *Gen. II, 3.* cuius hæc verba: *Quumque Deus abſoluiſſet in die ſeptimo opus ſuum quod fecit: quieuit in die ſeptimo ab omni opere ſuo quod fecit. Et benedixit Deus diei ſeptimo & ſanctificauit eum: quia in eo quieuit ab omni opere ſuo quod creauit Deus faciendo.* Quod argumentum palmarium eſt, ex quo probant, ſtatim eo ipſo tempore Deum ſanctificationem eius iniun-

Digitized by Google

iniunxiſſe hominibus. Neque (2) probabile eſſe Patriar- 25
chas per tanta temporum ſpatia, ſcilicet vltra bis mille annos, nulla habuiſſe ſtata tempora, quibus Dei beneficiorum in creatione cæli ac terræ recordarentur, aut Deo cultum publicum exhiberent, aut in quibus reſpirationem a laboribus permitterent ſeruis, ancillis, ac iumentis ſuis. Conſentaneum itaque rationi eſſe, quod Sabbathum ipſiquoque obſeruauerint. Imo (3) cum Moſes diei Sabba- 26
thi obſeruationem iniunxerit Iudæis, in memoriam creationis & quietis diuinæ, videtur exinde colligi poſſe, quod idem dies iam a temporibus creationis fuerit obſeruatus. Inde etiam (4) Moſes de Sabbatho, tanquam re certa & 27
iam nota, loquitur ad populum *Exod. XVI. 23. Hoc eſt quod dixit Iehoua: Cras eſt Sabbathum ſanctæ quietis Domini.* Quodſi 28
enim (5) a prima rerum origine Sabbathum non fuerit inſtitutum, quomodo creationis fides, & creatoris memoria Patriarcharum tempore retineri potuit, aut quomodo Sabbathum in ipſum quietis diuinæ diem Moſis tempore potuit incidere? Cum autem (6) ex Hiſtoriis conſtet, gentes 29
quoque exteras diem ſeptimum ſacrum habuiſſe, veroſimile inde redditur, Sabbathum rerum initiis fuiſſe coæuum, & illius notitiam a communibus mundi parentibus ad eorum poſteros dimanaſſe.

Ab hac ſententia autem alii, non tanto quidem nu- 30
mero, ſed tamen non infirmioribus quoque rationibus recedunt, ſtatuentes, Sabbathum tantum inſtitutum eſſe a Moſe, poſtquam ex Ægypto educti erant Iſraëlitæ. Inter quos agmen ducunt Io. Spencerus *de Legibus Hebr. ritualibus l. 1. cap. 4. Sect. 8. ſeqq.* Franciſc. Gomarus *tr. de Origine Sabbathi* qui *Cap. 4. §. 63. ſeqq.* ad conſenſum Patrum plerorumque prouocat. Cuius ſententiæ rationes ſunt ſequentes. Quia Deus (1) per Moſen Sabbathum primo expreſ- 31
ſe publicauit, tum cum Manna daret populo. Ita *Exod.*

XVI. 23. dicitur, *Quies Sabbathum ſanctum erit Iehouæ cras*, &
v. 25. *Sabbathum hodie Iehouæ eſt.* & v. 29. *Videte quod Iehoua*
DEDIT VOBIS illud Sabbathum: idcirco dat VOBIS die ſexto ci-
bum bidui. Ceu & *Nehem. IX. 14.* Sabbathum a Moſe intro-
ductum dicitur: *Sabbathum quoque ſanctum notum feciſti eis,*
quum præcepta ſtatutaque, & leges præciperes iis PER MOSEN ſer-
32 *vum tuum.* Nec minus (2) in aliis locis teſtatus eſt Deus,
quod Sabbathum tantum dederit populo ſuo *Ezech. XX. 12.*
Sabbathum dedi eis vt eſſet SIGNVM INTER ME ET IPSOS
ad ſciendum, me Iehouam ſanctificare ipſos Exod. XXXI. 13. Nam
SIGNVM EST inter me & vos, per generationes veſtras, ad cogno-
ſcendum, me Iehouam eſſe, qui ſanctifico vos. Quod ergo ſi-
gnum eſt inter Deum & populum ſuum, id non omnibus
gentibus commune, & ſic ab initio rerum non præceptum.
33 Deinde (3) Moſes ipſe *Deut. V. 2. 3.* dicit: *Deus noſter pepigit*
nobiſcum fœdus in Choreb: NON CVM PATRIBVS NOSTRIS
pepigit Iehoua fœdus illud: ſed nobiſcum, qui ipſi hic hodie omnes
ſumus viui. Atque poſtea *v. 12. ſeqq.* addit inſtitutionem
34 Sabbathi illo fœdere contineri. Add. *cap. IV. v. 13.* Sed &
(4) manifeſto declarat Moſes *Deut. V. 15.* ideo Sabbathum
inſtitutum eſſe, vt meminerint Iſraelitæ, ſe ſeruos fuiſſe in
Ægypto, & potenti manu diuina eductos & liberatos eſſe:
Memento, quod ſeruus fueris in terra Ægypti, eduxeritque te Ie-
houa Deus tuus inde per manum fortem, & per brachium excel-
ſum: IDEO præcepit TIBI Iehoua Deus tuus facere diem Sabbathi.
Ex quo conſtat Sabbathum antea datum non fuiſſe, cum a-
35 lias non potuiſſet huius cauſa datum eſſe. Cui (5) accedit
quod Gentes ob violationem reliquorum decalogi præce-
ptorum puniti paſſim legantur, & reprehenſi, nullibi au-
tem ob non ſeruatum Sabbathum, quod tamen factum
eſſet, ſi ab initio creati mundi Sabbathum inſtitutum fuiſſet,
& ita omnes gentes obligaſſet. Quin potius conqueritur
in lamentationibus ſuis Ieremias, hoſtes deridere, & ludi-
brio

Digitized by Google

brio habere Sabbatha Iſraëlitarum, idque impune *Thren. I. 7.*
Nec minus (6) argumentum ſumi videtur a ſilentio ſcri- 36
pturæ, quod quidem demonſtratiuum non eſt, ſed tamen
valde probabile; Scilicet non præſumendum eſſe, ſcriptu-
ram nullam omnino Sabbathi mentionem ante Moſen
facturam fuiſſe, ſi Sabbatha fuiſſent obſeruata. Alia argu-
menta, quæ pro hac ſententia afferri ſolent, nunc taceo.

Cui ergo ſententiæ nos ſubſcribamus, dicendum eſt. 37
Sed præmiſſa proteſtatione, quod ſalua quorumuis diſſen-
tientium eſſe debeat autoritas & exiſtimatio, pro libertate
conceſſa mediam hic ſententiam tueri animus eſt. Et
eatenus quidem amplectimur ſententiam poſteriorem,
quatenus eadem aſſeritur, ante Moſen certa lege & præ-
cepto nullibi inſtitutum eſſe Sabbathum, ſed hanc legem,
de Sabbatho obſeruando demum populo Iſraelitico, poſt-
quam ex Ægypto eductus eſſet, mandato diuino per Mo-
ſen latam eſſe, ob rationes modo adductas: Interim tamen 38
concedimus fautoribus prioris ſententiæ, probabile eſſe,
Patriarchas etiam interdum ſeptimum in hebdomade diem
ſpecialiter coluiſſe, ſed non perpetuo, neque neceſſario per
modum legis, ſed ex libera voluntate. Quin potius, Pa-
triarchas aliis etiam diebus, omni occaſione data, imo ſin-
gulis diebus Deum ſerio coluiſſe, valde probabile eſt;
cum ſtatus Patriarcharum non fuerit legalis, ſed quæ-
dam quaſi figura ſtatus Euangelici, per Chriſtum reſtabi-
liendi.

In quantum ergo poſteriori ſententiæ ſubſcribimus, 39
in tantum neceſſum eſt, vt ad rationes contrarias, *n. 24. ſeqq.*
adductas, reſpondeamus. Quod ergo (1) textum *Gen. II. 2. 3.* 40
in quo cardo totius negotii conſiſtit, adtinet, duplici modo
reſpondent ad illum textum: primo, per anticipationem
ibi additum eſſe, *& Deus benedixit & ſanctificauit* diem ſepti-
mum, & hoc ipſo indigitatum eſſe, quod Deus eum poſtea

Digitized by Google

ſanctificare voluerit: Sed hæc reſponſio, fateor, rem non
conficit, cum textus de tempore præſenti loquatur, non
41 de futuro. Magis ad rem facit altera reſponſio, qua Do-
ctores aſſerunt, Moſen hæc verba: *& benedixit Deus* &c.
addidiſſe, quia eo tempore, quo hiſtoriam ſuam conſcribe-
bat, Sabbathum iam inſtitutum erat. Cum autem Sabba-
thum inſtitutum eſſet in memoriam creationis & quietis di-
vinæ, viſum ipſi, iſto etiam loco mentionem faciendam
42 fuiſſe. Et hæc eſt ſententia Spenceri & Gomari: quæ ſi
indubia eſſet, omnem vim argumenti ex iſto loco petiti
tolleret. Sed alii eam tantum coniecturis niti, non vero
deeſſe grauiſſimas coniecturas in contrarium, ſtatuunt.
43 Sed videbimus an adiuuare Spenceri & Gomari ſententi-
am poſſimus ex noua ratione, ab illis adminimum non ad-
ducta. Scilicet ſi hæc verba, *& benedixit & ſanctificauit*,
inferunt inſtitutionem Sabbathi eo tempore die ſeptimo
primo factam, fluit inde, legem de Sabbatho homines etiam
in ſtatu innocentiæ obligaſſe, tum enim adhuc in ſtatu in-
44 nocentiæ conſtitutus erat homo. Quod autem abſurdum
ſit, vſum legis de Sabbatho ad ſtatum innocentiæ exten-
dere, facile concedet, qui rem accuratius penſitâuerit:
Nam (1) omnis externus cultus ad tempus & locum ad-
ſtrictus tantum habet reſpectum ad ſtatum hominis poſt
45 lapſum. Nec (2) fuiſſet ſtatus innocentiæ veræ, ſi homines
Deum non omni tempore, omni loco, ex toto & ſincero
corde coluiſſent. Erat homo imago viua Dei, non pote-
rat ergo non perpetuo plenus eſſe laudis & gloriæ diuinæ.
46 Accedit (3) Sabbathum datum eſſe, vt corpus laboribus de-
preſſum quiete reficeretur, & ſeruorum quoque labores re-
laxarentur. Aſt quis crediderit in ſtatu innocentiæ homi-
nem tot laboribus occupatum fuiſſe, quibus ob neceſſita-
tem hodie eſt; Et licet non diffitear, varia quoque nego-
tia expedienda homini fuiſſe, nego tamen his ipſis nimium
ipſum

ipſum oneratum fuiſſe ad debilitationem corporis, quod demum poſt lapſum accidit homini; iſti labores ſane, cum Deus ipſe operatus eſſet in homine, nunquam hominem a cultu Dei integro abduxiſſent, nec ſeruitus fuiſſent.
Non ergo ſtatus innocentiæ ſecundum indolem ſtatus no- 47
ſtri poſt lapſum deſcribendus, qua in re non peccant modo plerique ex Theologis, ſed ipſe etiam magnus Lutherus aliquid humani paſſus eſt, dum *in Comment. ad Gen. II. ad verba: ex omni ligno Paradiſi*, vbi de ſtatu innocentiæ loquitur, hæc verba habet: *Hæc arbor ſcientiæ boni & mali fuiſſet eccleſia, ad quam Adam cum poſteritate ſua die Sabbathi conueniſſet, & poſt refectionem ex arbore vitæ prædicaſſet Deum, &c.* poſt aliqua: *Hunc externum ritum, verbum, locum, cultum, habuiſſet homo, poſtea rediiſſet ad operationem & cuſtodiam, donec præfinitum tempus impletum eſſet, quo eſſet translatus in cœlum cum ſumma ſuauitate.* Cum itaque appareat legem de Sabba- 48
tho tantum reſpicere conditionem hominis poſt lapſum, non potuit ante lapſum eandem legem dediſſe Deus, verbis præſentis temporis, & ſic eo loco *Gen. II. 2. 3.* non fundata eſt lex de Sabbatho ab hominibus ſeruanda, ſed haud dubie iſta clauſula a Moſe adiecta. Verum, ſit etiam ita, 49
Moſen hæc verba: *& benedixit &c.* non adieciſſe, exinde tamen non poteſt deriuari lex de Sabbatho. Non enim ſequitur: Deus benedixit & ſanctificauit diem ſeptimum, ergo, vt homines diem ſeptimum cultui diuino deſtinarent, & ab omnibus laboribus deſiſterent, præcepit. Vtut enim 50
concedam ſanctificare Hebræis idem eſſe quod ſeparare a reliquis, nondum tamen inde ad Sabbathum obſeruandum fluit argumentum. In hoc autem benedixit primo diei ſe- 51
ptimo Deus, & eum ſanctificauit, quia ſeptimus dies quo requieuit Dominus, debebat figura eſſe Sabbathiſmi illius magni, & ſummæ quietis reſtaurandæ populo Dei, vti clare ſatis docet Apoſtolus, *Hebr. IV. 4. 6. 9. 10.* Hoc myſterium

Digitized by Google

rium cum contineat dies ille ſeptimus, in hoc ſeparatus eſt,
52 a communibus diebus & ita ſanctificatus eſt. Inde com-
munis ſemper Hebræorum ſententia fuit, ſeptimo mille-
nario, a mundo condito, (quia mille anni ſunt inſtar vni-
us diei coram Deo *2. Pet. III. 8. Pſalm. XC, 5.*) poſt exantlatos
labores per ſex priora millenaria manifeſtaturum eſſe De-
um magnum illum Sabbathiſmum, quo perpetua erit
quies, omnes labores ceſſabunt, & ſinguli dies erunt Sab-
53 batha, quorſum & Propheta reſpexit. *Eſa. LXVI. 23.* Et ad
hoc myſterium reſpexit Deus, dum ſeptimo ſemper anno,
annum remiſsionis & Sabbathum, imo poſt ſeptem eius-
modi magna Sabbatha, iubileum celebrari voluit. *Leuit.*
54 *XXV. 3. 4. 8. 9. 10.* Hoc eſt illud tempus de quo propheta
prædicit: *Erit lux lunæ, ſicut lux Solis, & lux Solis erit SEPTV-
PLA, ſicut lux SEPTEM dierum; in DIE, quo obligabit Iehoua
fracturam populi ſui, & vulnus plagæ eius ſanabit. Ieſ. XXX. 26.*
55 Huc videtur Deus ſemper reſpexiſſe in numero ſeptenario,
quo tantopere delectatus eſt, & qui ipſi non in veteri modo,
ſed & nouo teſtamento peculiari ratione ſacer fuit, nec
pauca miracula hoc numero concluſit. Ita de expugna-
tione vrbis Iericho, ſtatuit: *Circumibitis autem vrbem omnes
viri belli, circumdando vrbem vice vna, ſic facies ſex dies. SE-
PTEM vero Sacerdotes portabunt SEPTEM buccinas iubilantium
coram Arca. Sed in DIE SEPTIMO circumibitis vrbem SEPTEM
vicibus, ita vt Sacerdotes clangant buccinis. Ioſ. VI. 3. ſeqq.* Quod
& factum eſt, & ſeptimo iſto die concidit murus ſubter ſe,
aſcenditque omnis populus in vrbem *ibid. v. 20.* Deus Na-
amani ſalutem reddidit, poſtquam ſeptem lotiones in Ior-
56 dane ſubiiſſet. *2. Reg. V. 10. 14.* Inter alios ad hoc myſterium
ſeptenarii numeri admodum reſpexit Iean d' Eſpagne, qui
in operibus ſuis, maxime in tract. **Wunder GOttes in der
Ubereinſtimmung der Zeit** / varie huius ſacri numeri men-
tionem facit, ex quibus pauca huc retuliſſe non abs re eſſe
cenſeo-

cenſeo. Is autem *d. tr. P. 1. in pr. p. m. 579.* ex coniecturis non imbecillibus coniicit, magnum illud Solſtitium cuius mentio fit *Ioſ. X. 12. 13.* contigiſſe Anno 2555. quod tempus conſtat 365. annis ſeptem vicibus computatis, de quo miraculo inter alia ita diſſerit: Die ſiebende Zahl der Zeit/der Tage/der Jahre/der hundert Jahre/ihrer Eintheilungen und Veränderungen/iſt ein Merckzeichen/ wie man weiß/ durch welches er ſeine meiſte Wercke bezeichnet hat. Das iſt das Andencken der Ruhe die GOTT genommen hat am ſiebenden Tage/nachdem er das Werck der Schöpffung hatte vollendet. Dieſer Urſache halben hat er gewolt/ daß die Sonne / als die Maße der Jahre und Tage/ einen Tag ſolte ruhen / in dem ſiebenden Jahr der Jahre/oder ſiebenmal 365. Jahr/ſiebenmal ſo viel Jahr / als die Tage in einem jeden Jahre abgemeſſen. Gleichwie ein jedes ſiebendes Jahr war ein Sabbath-Jahr / alſo hielt die Sonne einen Sabbath-Tag in dem ſiebenden Jahr der 365. Wochen der Jahre/ welcher war ein Jahr-Sabbath. Idem *d. tr. p. 587. ſeqq.* 57
obſeruat illum numerum ſeptenarium in genealogia Chriſti: Alle Glieder in dem Geſchlecht-Regiſter Chriſti/wie ſie ſelbſt den mit-begreiffen/ der ſeit den ewigen Tagen her iſt/ ſind ſieben und ſiebenzig Ordnungen/und von ſieben zu ſieben unterſchieden / quod poſtea ſpecialius oſtendit. Item 58
p. 590. hanc obſeruationem habet: Seit der Verheiſſung des Weibes-Saamen biß zu der Erfüllung/da eine Jungfrau empfangen hat/ſind verfloſſen ſieben Jahr / oder eine Woche der Jahre ſiebenmal ſiebenzig Jahre; ſiebenzig Wochen der Jahre/ und noch ſiebenmal ſiebenzig Wochen der Jahre. Idem *p. 602.* ſequentia obſeruauit: Von der 59
Zeit daß die Kinder Iſrael das Land Canaan völlig eingenommen biß zu der Zeit daß ſie nach Babylon geführet/ ſind zwölffmal ſiebentzig Jahr; Und von der Zeit da ſie

Digitized by Google

weggeführet nach Babylon / biß daß ſie wieder ins Land Canaan zurück kommen/ſind ſiebenzig Jahr/ und von dieſer ihrer Zurückkunfft ins Land Canaan / biß zu der Zeit/ daß ſie Chriſtum tödteten / ſind ſiebenmal ſiebenzig Jahr.
60 Idem *p. 654.* titulum habet: die ſiebende Zahlen von den Jahren nach der Schöpffung des erſten Adams biß zu der Em-
61 pfängniß des andern. Sed nec in nouo teſtamento deſunt hæc myſteria, numeri ſeptenarii, ita Chriſtus ſeptem dies Sabbathi diuerſis miraculis illuſtrauit, obſeruante eodem Autore *in tr.* Anmerckungen über die Zehen Gebothe *p. 124.*
62 Inſtar omnium vero eſſe poteſt apocalypſis Ioannis, quæ plena eſt numero ſeptenario, vt facile omnium conſpectui
63 pateat, nec opus ſit ſpecialiora adducere. Conf. Theologio Chriſtiana in numeris, vbi Autor *p. 40.* hæc verba habet: Sieben iſt die Zahl der Wiederbringung und des Sabbaths/ und folget der ſechſe/ als des Menſchen Zahl/(an dero reſtitution das meiſte gelegen) auff dem Fuſſe nach/ dahero iſt ſie in der gantzen Heiligen Schrifft vor allen andern Zahlen bemercket/und als eine Heilige Zahl von allen ie und ie erkandt worden. Sonderlich aber iſt die gantze Heilige Offenbahrung durch 7. Gemeinen/7. Siegel/7. Poſaunen/ 7. Donner/ und 7. Zorn-Schalen/ in dieſer Zahl verfaſſet; weil ſie das vornehmſte Buch iſt / darinn die richtige Oeconomie der Wiederbringung gleichſam ſyſtematice enthalten iſt. In dieſer Zahl wircken die Geiſter GOttes (*Apoc. I. 4. IV. 5. V. 6.*) ihre Wunder; davon in der auſſern Welt die 7. Planeten / 7. Metallen / 7. Haupt-Farben / 7. Muſicaliſche Toni &c. ihre Abſchattung haben Am ſiebenden Tage hat GOTT von allen ſeinen Wercken geruhet und alſo gleich vom Anfange dieſe Zahl zur Sabbaths-Ruhe geheiliget / *Gen. II. 1. 2. 3. Hebr. IV. 3. 4.* Jedoch bringet ihr Geheimniß noch nicht die gantze Vollendung der Ruhe; weil ihr noch die 8. und 9. folgen ehe in der 10. das Ende den

Anfang

Digitized by Google

Anfang zur vollkommenſten Ruhe wieder findet / Conf. *A-*
poc. VIII. 1. Qui plura de numero ſeptenario deſiderat pot-
eſt conferre Philon. *lib. de mund. opiſic.* Flac. *Clau. Voc. Septen.*
Herberg. *magnal. ad Gen. II. n. 13. & ad Ioſ. VI. n. 13.* Exiſti- 64
mo itaque cuiuis, qui non omnis ſenſus prophetici & myſti-
ci in ſcriptura ſacra ignarus eſt, ſatis ex his conſtare poſſe,
quo reſpexerit Deus ſeptimo die quieſcendo, illi benedicen-
do, eumque ſanctificando, & ſic nullum firmum argumen-
tum inde duci poſſe ad inſtitutionem Sabbathi. Tandem, 65
vt omnis vis argumentandi aufferatur aduerſæ parti, nunc
ita concludo: Si Gen. II. fuit inſtitutum Sabbathum, ſequi-
tur, vt nullo modo potuerit tolli ab eccleſia noui teſtamen-
ti: quicquid enim ſtatim a mundo condito hominibus in-
iunctum, hoc morale eſt & omnes homines obligat, atque
ſic mutationi non obnoxium; iam vero poſterius, ſc. ab
eccleſiis noſtris non potuiſſe loco Sabbathi ſubſtitui diem
dominicum, non concedent diſſentientes, ergo prius erit fal-
ſum, ſc. Deum ibi Sabbathum inſtituiſſe.

Cum ita palmario aduerſæ partis argumento, cui 66
quaſi ſoli confidunt ſatisfactum ſit, ad reliqua facilis eſt re-
ſponſio. Nam ad (2) ſupra *n. 25.* adductum, reſpondeo; ſup-
ponunt diſſentientes, ſi non certus dies cultui publico deſti-
natus fuiſſet, ſtatim omnem cultum periturum fuiſſe. Sed hoc
oppido falſum eſt. Si enim Patriarchæ ſine templo ſeu certo
loco potuerunt Deum colere, cur non & ſine certo die.
Sed prouenit hoc argumentum ab errore communi, quaſi
nullus Deo cultus gratus eſſet, niſi qui fieret conuocatis
hominibus, certo loco & tempore. Ego perſuaſus ſum 67
Patriarchas non vno die, ſed omnibus diebus Deum ſin-
cere coluiſſe, victimaſque Deo obtuliſſe, non certis tempo-
ribus, ſed libere, quouis tempore, pro inſtinctu amoris di-
uini, quo repleta eorum corda erant. Creationis memo- 68
ria adeo viua in ipſis erat, & beneficiis diuinis quotidie

Digitized by Google

renouabatur, vt propterea Sabbatho non fuerit opus. Ne-
que ſeruos operis adeo grauaſſe credibile eſt, vt non quie-
tem ipſis reliquerint, tempuſque animum ad Deum ex-
tollendi: non enim Patriarchæ tyranni erant, non erant
tam inhumani vt multi hodie nobiles, qui intolerabilibus
69 laboribus miſeros ruſticos grauare ſolent. Sane non eſt
credibile, Deum omnino hæc reticere voluiſſe, ſi Sabba-
thum ab ipſis quoque Patriarchis *per modum præcepti & legis*
fuiſſet obſeruatum; iam autem nec minimum eius veſti-
gium in ſacris litteris reperitur: cum tamen, poſtquam
Moſes Sabbathum inſtituiſſet iuſſu Dei, toties quoties, et-
70 iam ſine neceſſitate interdum, eius mentio facta fuerit. Le-
gimus Noachum victimam Deo gratam obtuliſſe finito di-
luuio. *Gen. VIII. 20.* Idem iam ab Abele factum *Gen. IV. 4.* & ab
Abrahamo *Gen. XXII. 13.* Iacobo *Gen. XXXI. 54. XLVI. 1.* ſed
71 nunquam additur, hoc factum eſſe die Sabbathi. Quam-
obrem, Patriarchas nulla lege ad diem Sabbathi fuiſſe ad-
ſtrictos, pro certo habeo, vtut non negauerim eos forte,
vt aliis diebus, ita etiam die ſeptimo ſæpiſſime, ex libera vo-
luntate Deum coluiſſe.

72 Tertium argumentum *n. 26.* adductum plane non
ſtringit, nec enim rite concluditur: Moſes in memoriam
creationis factæ iubet ſeruari Sabbathum, ergo hoc iam
73 antea obſeruatum. Vixerant Iſraelitæ inter Ægyptios ve-
rum Deum non agnoſcentes, ſed ſolem, lunam, ſidera a-
dorantes, itaque illos inſtitutione Sabbathi ab idololatria,
& cultu numinum gentilium, ad cultum veri Dei, crea-
toris cæli & terræ, reuocare voluit. Vnde cultus idolo-
rum & Sabbathi violatio toties in ſacris litteris coniungun-
tur. *Ezech. XX. 16. 24. XXIII. 37. 38. 1. Maccab. I. 44.* & præce-
pta de fugiendis idolis, & Sabbathis obſeruandis, coniuncta
reperiuntur *Leu. XIX. 3. 4. XXVI. 1. 2. Ezech. XX. 18. 19. 20.* Hæc
74 vero ratio cum antea Patriarcharum tempore ceſſauerit,

vt

vtpote qui opus creationis viua ſemper memoria tene-
bant, & ad cultum idololatricum non erant procliues, fa-
cile ſimul corruit argumentum. Nam ſi antea iam fuiſſet 75
inſtitutum & obſeruatum Sabbathum, huius haud dubie
mentionem feciſſet Moſes, de quo tamen altum eſt ſilen-
tium.

Inde nunc ducimur ad quartum argumentum, con- 76
tra hanc ſententiam *n.* 27. allatum: Non enim dicit Moſes
Exod: XVI. 23. Cras eſt Sabbathum ſed cras *ERIT* Sabbathum;
vt ex textu ipſo hebræo conſtat. Neque loquitur de re po- 77
pulo nota, cum hoc non appareat, ſed potius contrarium,
quod nunc demum hoc notum facere voluerit. Poſt-
quam vero hoc notum fecerat Moſes, altero die dicit,
Sabbathum hodie eſt Iehouæ, vt idem denuo inculcet po-
pulo.

Neque quintum argumentum *n.* 28. adductum, ad 78
rem facit, nam primo eſt probabile tantum, & ſic per ali-
ud probabile facile tollitur; deinde haud difficulter ad il- 79
lud reſponderi poteſt, ſi quidem ſæpius dictum, memori-
am creationis apud Patriarchas viuam ſemper atque quo-
tidiano familiarique cum Deo conſortio ſatis renouatam
fuiſſe, cum & per traditionem continuam hæc res ad eos
haud dubie perlata ſit. Vnde recte Gomarus *d. tr. cap.* 4.
§. 21. *Quum Adamus, pridie diei ſeptimi ac quietis diuinæ, viri-
bus & ratione valens fuerit creatus, quomodo id ignorauit? Quum-
que diu cum Metuſalacho; & hic cum Semo, Semus denique cum A-
brahamo & Iſaaco vixerit; quidni potuerunt dierum creationis
& ſeptimi quietis diuinæ meminiſſe, & idoneis temporibus Deum
colere, & ad poſteros illam temporum notitiam, Deique cultum
traditione propagare, etiamſi ſeptimi diei cultus abfuerit.* Ve- 80
rum etiamſi, quis præciſe dies ſeptimus ſit, ignoratum fu-
iſſet, facile id ex aliis hebdomadum diſtinctionibus a Plane-
tis deſumtis, & apud Ægyptios vſitatis, conſtare potuit; &

licet nec ſic conſtitiſſet, ſufficit, Deum per Moſem ſatis clare indigitaſſe, quis dies ſeptimus ſit, quem ſanctum habere debeant Iſraelitæ.

81 Reſtat vt vltimum argumentum ab aduerſa parte allatum excutiamus, illud vero vel falſa nititur hypotheſi,
82 vel tamen non concludit contra noſtram ſententiam. Nam primo largior quidem cyclum hebdomaticum gentibus aliis etiam fuiſſe notum, dum dies a ſeptem planetis denominabantur, quam denominationem adhuc hodie in vſu eſſe
83 ſcriptoribus latinis, notum eſt. Concedo etiam varia feſta celebraſſe gentiles, in honorem Deorum ſuorum, vt-
84 pote quod ſalua fide hiſtorica negari nequit; Sed an ſeptimum diem per modum Sabbathi coluerint, hoc vero eſt in quæſtione. Ego ne hic prolixior ſim, prouoco ad teſtimonia a Gomaro *d. tr. cap. 4. §. 25. ſeqq.* adducta, & ea quæ erudite & ſolide hac de re tradidit. Io. Selden. *de Iur. Nat. & Gent. iuxta diſcipl. Hebr. l. 3. c. 9. ſeqq.* vbi *c. 16. ſeqq.* teſtimonia, ab aduerſa parte adducta, contrarium non probare, docet. Ex his ergo autoribus, maxime autem ex Seldeno, luce meridiana clarius patet, Sabbathum a Deo ſolis Iudæis datum, neque eos cum aliis gentibus commune ha-
85 buiſſe. Inde Sabbathum dicitur, *ſignum inter Deum & filios Iſrael in perpetuum, Exod. XXXI. 13. 16. 17.* Et *Ezech. XX: 11. 12.* Sabbathum inter beneficia refertur, quibus Deus populum ex Ægypto nuper egreſſum ſibi deuinxiſſe dicitur. Quo & pertinet locus *Nehem. IX. 14.* Conferantur etiam teſtimo-
86 nia apud Spencerum *l. 1. c. 4. Sect. 9. p. m. 44.* Id tantum hic addo, ſi quandoque legatur ſeptimo die gentes a laboribus abſtinuiſſe, hoc non feſti aut cultus publici cauſa factum eſſe, ſed ideo, quia erat ater & Ægyptiacus; Aſtrologorum enim inuentum erat, quod ſaturni dies, qui erat ſeptimus, infelix, infauſtus & inauſpicatus, hoc eſt rebus agendis minus idoneus ſit. Vti fuſius demonſtratum *in Diſſ.*

præſide

præſide M. Io. Iac. Syrbio *Ienæ habita*: *de Sabbatho Gentili §. 6. ſeqq.* Dies atros autem religioſos etiam vocatos eſſe conſtat ex Gellio *l. 4. c. 9.* Vti ergo falſum ſuppoſitum eſt, gen- 87
tes etiam Sabbathum coluiſſe, ita etiamſi concederetur, a quibusdam gentibus id factum eſſe, nulla tamen inde concluſio formari poteſt, ergo Sabbathum ab origine mundi fuit inſtitutum. Siquidem etiam hoc accepiſſe potuerunt gentes ab Hebræis, quorum mores non raro imitatæ ſunt. Quo pertinet locus Ioſephi *l. 2. contra Appionem*, vbi hæc verba habet: *Neque eſt ciuitas Græcorum vlla, aut Barbarorum, neque vlla gens, ad quam ſeptimi diei, in quo vacamus, conſuetudo minime peruenerit.* Conf. Gomar. *d. c. 4. §. 31. ſeqq.*

Cum igitur, fuſis argumentis aduerſæ partis, demon- 88
ſtratum ſit, legem de Sabbatho primum per Moſen latam eſſe, Iſraelitis ex Aegypto eductis, quam & plerorumque Hebræorum ſententiam eſſe, adductis autoritatibus fatetur Io. Lundius *in tr.* von den alten Jüdiſchen Heiligthümern *l. 5. c. 4. n. 6.* & confirmat Io. Seldenus *cit. l.* facilis eſt deciſio illius quæſtionis inter autores agitatæ, an illa lex ſit moralis, an ceremonialis? Plerique legem illam mora- 89
lem eſſe aſſerunt ex variis rationibus, quas ordine recenſet Gisbert. Voetius *Select. Diſp. Theol. P. 3. Diſp. de Sabbatho & Feſtis n. 6.* Quæ ſequentes ſunt: I. quia eſt præceptum 90
decalogi, ergo eſt morale ſex diebus operari & ſeptimo quieſcere, cum decalogus contineat legem moralem & perpetuam. Idque non in genere tantum, ſed etiam in ſpecie. Hinc non in genere aliquod tempus cultui diuino conſecrandum eſſe, ſed iſtam ſpeciem & menſuram temporis, ſeptimum diem, qui ſenis ſuccedit. Et hoc argumentum apud omnes valiturum eſſe arbitratur Voetius, qui Anabaptiſticas & Socinianas nouitates ſolide refutatas velint. II. Quia Sabbathum hebdomadale fuit inſtitutum 91
a creatione mundi *Gen. II. 2.* ergo eſt morale. III. Quia 92
alias

alias hæc abſurda ſequerentur (1) relinqui totum hoc arbitrio & libertati eccleſiæ, & ſic (2) quot eccleſiæ ſint, tot Sabbatha futura eſſe. adeoque (3) non magis in ſpecie nos in conſcientia obligari illo decalogi præcepto, quam ſtatutis ceremonialibus de Neomeniis, feſtis &c. Nec (4) peccare eccleſias, ſi quæ nullum certum diem ſeptimum, imo ne decimum quidem aut centeſimum, cultui diuino conſecrent, & ſic (5) illud præceptum decalogi eſſe purum putum ceremoniale, nec (6) homines, profanando diem ſeptimum, magis peccare, quam ſi omiſiſſent neomenias.
93 IV. argumentum, ex conſenſu antiquitatis & plerorumque Doctorum in eccleſiis reformatis, deſumit.

94 Verum ab hac ſententia alii recedunt, & legem Sabbathi non moralem ſed ceremonialem eſſe aſſerunt. Quorum ſententia, noſtro etiam iudicio, longe ſolidioribus fundamentis nititur. Nam (1) ex ſententia illa, de origi-
95 ne Sabbathi a Moſe deriuata, ſua ſponte ſequitur. Quæcunque enim lex, a Moſe ſolis Iudæis lata, & ob cuius legis violationem ſoli Iudæi, non aliæ gentes, puniti, illa lex, ſi ad cultum diuinum pertinet, eſt ceremonialis: quæ propoſitio ſua luce radiat, nec probatione opus habet. Legem vero de Sabbatho talem legem eſſe, ſupra probauimus; ergo
96 eam ceremonialem eſſe, neceſſario nexu ſequitur. Accedit (2) quod ratio inſtituti Sabbathi ad ſolos Iudæos pertineat. Scilicet in memoriam ſeruitutis, quam paſſi ſunt Iſraelitæ apud Aegyptios, datum eſſe Sabbathum, docet Moſes *Deut. V. 15.* Sabbathum debere eſſe ſpeciale ſignum inter Deum & populum iudaicum, dicitur *Ezech. XX. 12. Exod. XXXI. 13.* vbi *v. 16.* expreſſe additur *perpetui fœderis cauſa inter Deum & Iſraelitas* Sabbathum ſeruandum eſſe. Imo, vt hac ratione a cultu idololatrico, qui Iudæis ex ſeruitute Aegyptiaca adhærebat, & ad quem proni admodum erant, auocarentur, Sabbathum inſtitutum eſſe, ſupra dictum, & fuſe

fuſe probatum eſt a Spencero *l. 1. c. 4. Sect. 12. & Sect. 13. coroll. 2.* Sed hæc omnia eiusmodi ſunt, quæ non potuerunt, niſi ſolos Iudæos reſpicere. Nam & (3) ſi κατ' ἄνθρωπον diſputare liceat, poſito, illud præceptum morale eſſe, idem nos adhuc in nouo teſtamento ſtringeret, nec liceret loco ſeptimi diei primum ſubſtituere. Vt adeo neſciam, quid reſponderi Iudæis poſſit, qui hanc Sabbathi mutationem a nobis perperam factam eſſe vrgent.

Inſuper argumenta a Voetio allata leuiſſima ſunt, &
vix reſponſione digna. Nam 1. omnia Decalogi præcepta 98
eſſe moralia, negamus, & hoc eſt de quo diſputatur. Concedo reliqua præcepta eſſe moralia, ſed de tertio, vel ſecundum Reformatos de quarto, hoc nego. Hæc autem lex ceremonialis reliquis moralibus ideo fuit adiuncta, quia primæ tabulæ ſcopus erat Idololatriam eradicare; huc cum etiam reſpexerit lex de Sabbatho, optime prioribus fuit iuncta. *Erat enim Sabbatbum a Deo inſtitutum, vt illius obſeruatio creationis publica & realis profeſſio eſſet, adeoque opinionem illam de rerum æternitate radicitus excuteret, cui Gentium idololatria præcipue nitebatur*: Verba ſunt Spenceri *d. cap. 4. Sect. 10. p. 59.* Vbi etiam oſtendit, nihil abſurdi continere 99
commixtionem legis ceremonialis cum moralibus, non magis certe, quam in Pentateucho eas leges commiſtas inuenimus. Eſt ergo hoc argumentum, cui tantum tribuit 100
Voetius, nullius ponderis. Videat is potius, ne, dum contra Anabaptiſtas hic aciem totam dirigit, a Iudæis ipſe capiatur; a quibus ſecurus non eſt, quamdiu Sabbathi legem moralem eſſe, &, in quo paucos habebit conſentientes, in ſpecie ſeptimum diem & non aliud tempus cultui diuino dedicandum eſſe, aſſerit. Argumentum eius II. falſa hy- 101
potheſi niti, ſupra abunde demonſtratum eſt, inde hic nihil adiicimus. Neque III. illa abſurda, quæ ex noſtra ſenten- 102
tia fluere arbitratur, alicuius momenti ſunt, nam (1) non

Digitized by Google

eſt abſurdum, determinationem diei relinqui libertati ec-
cleſiæ, cum alias abſurdum eſſet noſtram eccleſiam non
103 ſeptimum diem retinuiſſe, ſed primum ſubſtituiſſe. Nec (2)
apparet, quamlibet Eccleſiam ſpecialem diem Sabbathi
cultui diuino deſtinaſſe, neque hoc ſuaderem, cum non
104 poſſent non infinitæ confuſiones inde naſci. Et (3) omnino
verum eſt, nos non magis Sabbatho obligari, quam aliis Iu-
dæorum feſtis. Si enim illo obligaremur, die Saturni ab o-
mnibus laboribus abſtinendum, nec die primo ſed ſeptimo
105 cultus diuinus peragendus eſſet. Ad (4) abſurdum quod
attinet, abſurda potius conſequentia eſt, lex Iudæorum
de Sabbatho eſt ceremonialis, E. nullus dies cultui diuino
deſtinandus. Veram autem Chriſtianam Eccleſiam non
obligari vt Deum certo die, ſed vt ſingulis diebus colat,
concedo; interim tamen propter malos & infirmos exter-
næ eccleſiæ admixtos retinendus fuit aliquis cultus publi-
106 cus, vti infra oſtendemus. Sed (5) ſequatur etiam præce-
ptum illud decalogi eſſe purum putum ceremoniale, id
quod hactenus a nobis probatum eſſe exiſtimamus, quid
107 inde? Et annon (6) hodie permittitur profanare diem
Sabbathi, hoc eſt, ſeptimum: profanatur ſane dum apud
108 Chriſtianos non obſeruatur. Neque IV. argumentum
Voetii vel minimum euincit: nullam enim in rebus diui-
nis agnoſcimus autoritatem, quam ſolius ſcripturæ ſacræ.
Haud raro errores per integra ſecula ſunt continuati.

109 Cum ergo manifeſtum ſit Sabbathi legem non eſſe
moralem, atque non pauci tandem hoc fateri teneantur,
nunc porro quæſtio oritur, annon ex parte moralis ſit, ac
110 ita adhuc hodie nos obliget? Plerique rem ita conficiunt, il-
lud quidem ceremoniale eſſe, quod præciſe ſeptimns dies
eſſe debuerit, ſed hoc morale eſſe, quod tamen vnus ex
hebdomade dies cultui diuino deſtinandus ſit, & eateuns
111 etiam iuris naturæ eſſe Sabbathum ſtatuunt. Verum neq;
hæc

hæc opinio aſſenſum meretur, quamuis magnos viros pro eius parte ſtare videas. Nam, vt ordine procedam, iuris naturalis non eſſe, vt vnus dies in hebdomade cultui diuino deſtinetur, facile concedet, qui paulo penitius rem conſiderauerit. Omnes enim rationes iuris Nat. quæ cultum Dei vrgent, id volunt, vt Deus colatur, imo vt quotidie etiam colatur, ſed quod inprimis vnus dies in ſeptimana, & non potius in duabus vnus dies, vel in vna ſeptimana duo dies, vel ſingulis diebus certum tempus cultui diuino deſtinari 112
debeat; hoc nulla ratione naturali probari poteſt. Quod autem ad ius morale poſitiuum pertineat, nunquam ex ſcriptura probari poteſt; quamuis enim ex ipſo Decalogi præcepto hoc probare nitantur, ipſa tamen littera hanc explicationem reiicit. Ita verba totius præcepti in Decalogo habent: *Memento diei Sabbathi ad ſanctificandum eum: Sex diebus laboreabis, & facies omne opus tuum: at DIES SEPTIMUS Sabbathum eſto Iehouæ Deo tuo; non facies vllum opus, tu & filius tuus, & filia tua, ſeruus tuus & ancilla tua, & beſtia tua, & peregrinus tuus, qui in portis tuis. QUIA ſex diebus fecit Iehoua cœlum & terram, mare & omne quod in iis eſt, quieuitque IN DIE SEPTIMO. Ideo benedixit Iehoua diei Sabbathi, & ſanctificauit eum. Exod. XX. 8. ſeqq.* Ex his autem verbis ma- 113
nifeſtum eſt, non voluiſſe Deum, vt aliquis tantum dies in ſeptimana pro Sabbatho haberetur, ſed vt ſeptimus præciſe; Imo cum ideo ſeptimus dies ad Sabbathum deſtinatus ſit, quia Iehoua die ſeptimo poſt peractum creationis opus quieuit, clariſſimum eſt, non alium diem quam ſeptimum admittendum eſſe, quia non alio die quieuit quam ſeptimo. Adeoque non ſunt verba legis mutilanda, ſed aut tota lex eſt moralis, & ſic hodie perperam a Chriſtianis non obſeruatur, aut eſt ceremonialis, & ſic recte a nobis pro Sabbatho non habetur. Eligant Diſſentientes quid velint.

114 Ex his autem, quæ hactenus fuſe demonſtrata ſunt,
eſſe ſcilicet legem de Sabbatho obſeruando ceremonialem
tantum, facile conſtare omnibus poteſt, an & Chriſtianos
in nouo teſtamento ſtringat eius obligatio? Nos, vt, omiſ-
ſis breuitatis ſtudio rationibus contrariis, ſententiam no-
ſtram ſtatim exponamus, negamus quæſtionem propoſi-
tam, idque ſolidiſſimis efficaciſſimisque rationibus, quas
115 in quatuor partes diſpeſcimus. Et I. quidem ſententiam
noſtram probamus ex natura & indole legis ceremonia-
lis. Ab huius enim iugo Chriſtus nos liberauit, illudque diſ-
crimen, quod inter gentes & Iudæos erat, ſuſtulit; quæ
ex ſacris litteris adeo manifeſta ſunt, vt probatione non
116 indigeant. Vnicum Apoſtoli teſtimonium *ex Ep. ad Coloſſ.*
II. 16. 17. tantum adfero, is autem ita ſcribit: *Ne igitur vos*
quis iudicato in cibo, aut potu aut in parte feſti, aut nouilunii, aut
SABBATHORVM. Quæ ſunt VMBRA futurorum, corpus autem
Chriſti. Ex quibus verbis luce meridiana clarius eſt, Sab-
batha tantum vmbram & typum fuiſſe, ac ita ad leges ce-
remoniales pertinuiſſe, per conſequens Chriſto aduenien-
117 te, tanquam corpore ipſo & antitypo, deſiiſſe. Sed & II.
ipſius Chriſti exemplo, quod nobis inſtar omnium eſt, &
doctrinæ ſententia noſtra conformis eſt. Ita videmus
Chriſtum die Sabbathi ægrotos ſanaſſe, etiamſi omnibus
fere Iudæis inde ſcandalum natum ſit, cum tamen facile
hoc ipſum ſine periculo in diem alterum differre potuiſſet.
118 *Matth. XII. 13. 14. Luc. IV. 35. 38. XIV. 3. ſeqq. Ioh. V. 9. IX. 14.* Sed
ne ad hoc regeratur, ſanare non eſſe opus in Sabbatho il-
licitum, prouoco ad exemplum diſcipulorum Chriſti, qui
die Sabbathi euellebant ſpicas & comedebant *Matth. XII. 1. 2.*
Cum tamen cibum quærere & Manna quærere fuerit prō-
hibitum. *Exod. XVI. 23.* Quod factum diſcipulorum etiam
119 approbauit Chriſtus. Imo ſi hoc quoque factum excuſa-
tione dignum iudicatum fuerit, notandum eſt, Chriſtum
illi,

illi, quem ſanauerat prope lacum Betheſda, iniunxiſſe, vt ſurgat, lectumque tollat, cum tamen aliquid portare die ſabbathi, in lege Moſis fuerit interdictum, *Ier. XVII. 21.* vti hoc etiam improbabant iſti homini ſanato Iudæi *Ioh. V. 8. 10.* Iuſſit ergo Chriſtus quædam quæ legi de Sabbatho erant aduerſa. Dum autem Chriſtum ideo, quod hæc feciſſet Sabbatho, perſequerentur Iudæi, ipſe illis reſpondit: *Pater meus nunc vsque operatur.* (ſc. in Sabbatho) *Ideo etiam ego operor* (in Sabbatho) *d. c. V. 17.* Quod & Lutherus in der Rand-gloße ita explicat: Mein Vater hält den Sabbath nicht/ darum halt ich ihn auch nicht. Et huc pertinet quod Chri- 120
ſtus *Marc. II. 28.* dicit: *Dominus eſt filius hominis etiam Sabbathi.* Quibus verbis declarauit publice, ſuum eſſe tollere Sabbathum, tanquam vmbram & ceremoniale; nam moralẽ legem, nunquam tollere voluit filius hominis, vti nec vllibi, a
ſe eam ſublatam eſſe, veſtigium reperitur. Quibus etiam 121
addendum, quod, cum die Sabbathi ſanaſſet hominem manum aridam habentem, generalem regulam propoſuerit: *Licet in Sabbathis benefacere Matth. XII. 12.* Non dicit ea tantum facere licere, quæ neceſſitas vrget, ſed in genere, licere be-
ne facere. Equidem concedimus, Chriſtum Sabbatha quo- 122
que & feſta Iudæorum adhuc obſeruaſſe, aſt hoc ideo non factum, vt nos omnes ad id obligaret, ſed ut in Sabbathis occaſionem nanciſceretur docendi in Synagogis, & miracula in conſpectu omnium edendi, & quia opus redemtionis tum temporis nondum fuit impletum & conſummatum, cum paſſus nondum fuerit & a mortuis reſurrexerit, & hinc etiam circumciſionis legem ſubiit. Sufficit interim ipſum mentem ſuam ſatis propoſuiſſe diſcipulis.

Hinc III. ad Apoſtolorum doctrinam reſpicimus. Illi 123
toti in eo fuerunt, vt inculcarent Chriſtianis, ab omni lege ceremoniali, & ipſa quoque lege de Sabbatho obſeruando,
per Chriſtum ſe liberatos eſſe. Locum *Col. II, 16. 17.* vbi Sab- 124

bathum vmbra dicitur futurorum ſublata per Chriſtum, qui corpus ipſum eſt, iam tum adduximus ſupra *n. 116.* Sed iſta Apoſtoli verba tam clara ſunt, vt nihil ſolidi contra illa adferri poſſit, niſi quis temere vim facere textui diuino audeat. Nam per vmbram legem ceremonialem tantum
125 intelligi, apparet ex *Hebr. X. 1.* Inde Apoſtolus neminem vult ad certos dies adſtringi, ſed liberum cuiuis eſſe debere an dies ſeruare velit, an ſecus. Ita *Rom. XIV. 5. 6. Hic quidem iudicat diem præ die: alter vero iudicat omnem diem: Vnusquisque in proprio ſenſu plene perſuaſus ſit. Qui curat diem, domino curat: & qui non curat diem, Domino non curat.* Neminem hic condemnari vult Apoſtolus, illum, qui dies certos non curat, id Domino facere dicit, quod vtique dicere non po-
126 tuiſſet, ſi Sabbathum per modum legis Chriſtianos ſtringeret. Sane non loqui Apoſtolum tantum de feſtis Iudæorum. Sed & de Sabbathis manifeſtum eſt ex generali propoſitione, cum & Sabbatha certis diebus fieri debuerint. Imo illam certi diei & temporis obſeruationem non
127 conuenire indoli noui teſtamenti, & periculoſam eſſe idem comprobat *Gal. IV. 9. 10. 11. Nunc vero poſtquam cognouiſtis Deum, imo poſtquam agniti eſtis a Deo, quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus iterum ſeruire vultis; Dies obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos. Timeo vobis, ne forte fruſtra labora-*
128 *uerim erga vos.* Ex quibus verbis patet (1) omnem illum externum cultum certis diebus & temporibus ſtatutum ad id tendere, vt inde Deum cognoſcere incipiamus, atque adeo ſi quis Deum cognoſcat, eum non obligari amplius ad certi temporis obſeruationem: (2) Chriſtum nos ab iſto iugo & obligatione certi temporis liberaſſe, & in eo libertatem Chriſtianorum conſiſtere: (3) periculoſum eſſe iſtiusmodi certi temporis cultum, cum hac ratione Chriſtiani acquiſita Euangelica libertate excidere poſſint, iugumque legis ſibi de nouo imponere.
Hinc

Hinc cum quidam ex nouis Chriſtianis adhuc inclinabant 129
ad legem Moſaicam obſeruandam, primo Apoſtolorum decreto
conſtitutum eſt, nullum Chriſtianis onus imponendum
eſſe præter pauca illa, vt abſtineant ab Idolothytis, &
ſanguine & ſuffocato, & ſcortatione *Act. XV. 28. 29.* Iam vero
cum & obligatio Sabbathi non leue onus legis Moſaicæ
fuerit, ab illo quoque liberatos Chriſtianos eſſe inde patet,
cum hoc ibidem exceptum eſſe non reperiatur. Vti et- 130
iam ſuo exemplo id docuerunt Apoſtoli, dum non certis
diebus, ſed quotidie, verbum prædicarunt, & ſacramenta
adminiſtrarunt. *Act. II. 46. V. 42.*

Tandem IV. primitiuæ Eccleſiæ exemplo ſententia 131
noſtra non parum confirmatur. Tum temporis enim indubitatum
fuit, Sabbathum in vet. teſt. fuiſſe typum & figuram
Sabbathi interni, ſeu quietis animæ in nouo teſtamento.
Ita Macarius *Homil. 35.* hoc explicat, cuius verba
in verſione vernacula ita ſe habent: In dem Schatten des
Geſetzes/ das durch Moſen gegeben iſt/ hat GOtt befohlen/
daß ein jeder am Sabbath ruhen ſolte/ und nichts arbeiten.
Dieſes war nun ein Vorbild und Schatten des rechten Sabbaths/
welchen der HErr einer Seelen ſchencket. Denn
die Seele/ welche gewürdiget wird/ von ſchändlichen und
unreinen Gedancken frey zu ſeyn/ die hält ihren wahren
Sabbath/ und ruhet in der rechten Ruhe / da ſie ſtille iſt/
und frey wroden von allen Wercken der Finſterniß &c.
vbi poſtea, quid ſignificet, quod & animalia irrationalia
quieſcere debuerint die Sabbathi, ita interpretatur: Alſo
wenn der HERR kommt/ und den wahren ewigen Sabbath
ſchencket/ macht er die beladene und beſchwerte Seele
ruhen/ von den Laſten der Sünde und unreinen Gedancken
&c. De quo Patres paſſim videri poſſunt. Inde nun- 132
quam primi Chriſtiani ad certa tempora ſe alligari paſſi
ſunt, ſed Deum omni die ex libero animo, quandocunque
libue-

libuerit, etiam externo cultu honorarunt. Conf. Damaſcenus *de Orthod. Fide l. 4. c. 24.* Ita Euſebius *Hiſtor. Eccl. l. 1. c. 1.* teſtatur de ſuis temporibus, quod ſicuti Patriarchæ non obſeruauerint Sabbatha, ita nec Chriſtiani illud faciant.

133 Habet quoque Iuſtinus Martyr teſtimonia quam plurima huius rei, quod Chriſtiani liberi ſint ab obligatione Sabbathi. Ita enim *in Dialogo cum Tryphone Iudæo p. 227.* loquitur: *Num aliud quidquam eſt, perchari nobis viri, quod in nobis reprehenditis, præterquam quod ex præſcripto legis non viuimus, neq; itidem vt maiores veſtri carne circumcidimur, neque ſicuti vos SABBATHA & ferias agimus: vtrum vita quoque, & mores noſtri apud vos in crimen vocantur?* Cui Trypho reſpondens fatetur, ſe mirari, quod Chriſtiani veram iactent religionẽ, & nec feſtos dies, nec Sabbatha ſeruent. Ad quæ cum Iuſtinus regeſſerit, multa de lege veteri per nouam legem ſublata, *p. 229.* ita pergit: *Perpetuum vos ſeruare Sabbathum, vult lex noua; & cum vnum in otio tranſigeritis diem, religione vos defunctos arbitramini. - - Si quis in vobis eſt periurus, aut fraudator, peccare deſinat: ſi quis fornicator, pœnitentiam agat: & vera lætaque Dei Sabbatha peregerit. - - p. 231. Vos autem omnia carnali ſenſu accipitis & religionem verumque cultum eſſe arbitramini, ſi talia (externa) faciatis & interim in animis veſtris pleni ſitis dolo, & vitioſitate omni. - - p. 235. Nam & nos ipſi circumciſionem iſtam carnalem, & Sabbathum & ferias cunctas celebrantes ſeruaremus, niſi cauſa nobis cognita eſſet, quamobrem vobis hæc ſint imperata; nimirum propter iniquitatem veſtram & duritiem cordis.* Vbi poſtquã ad Adamum, Lotum, Noacham, Melchiſedechum prouocauerat, qui circumciſi non fuerunt *p. 236. in fine* ſubiicit: *Nam ſine obſeruatione Sabbathi, qui nominati modo ſunt, iuſti omnes Deo complacuerant, & poſt illos Abraham, atque eius liberi cuncti ad Moſen vſque.* Quibus vltimis verbis & ſententiam noſtram, legem de Sabbatho primum a Moſe latam eſſe, comprobat.

Poſſent

Poſſent plura teſtimonia ex Tertulliano, aliiſque adferri, 134
niſi res clara eſſet, conſtantem fuiſſe ſententiam, in primitiua eccleſia ad Sabbatha obſeruanda non obligatos fuiſſe Chriſtianos.

Cum autem communiter obiiciatur, concedi quidem, 135
quod Chriſtiani non obligentur Sabbathis Iudæorum, interim tamen loco Sabbathi ſucceſſiſſe diem dominicum, atque adeo ad huius obſeruationem obligari Chriſtianos; vt ſolide hac de re ſententiam noſtram exponamus, primo de origine diei dominici, deinde de cauſa inſtitutionis, ac tandem de obligatione quædam hic adiicienda ſunt. De 136
tempore autem & origine huius inſtituti non conueniunt autores. Quidam ab ipſis Apoſtolis conſtitutum eſſe aſſerunt, vt Chriſtiani primo die ſeptimanæ, qui hodie dicitur dies ſolis, & apud Iudæos dicebatur primus Sabbathi, conuenirent; idque ex tribus S. Scripturæ locis probare conantur. Et primo quidem ex textu *Act. XX. 7.* vbi dici- 137
tur Paulum cum ſociis in Troade per dies ſeptem ſubſtitiſſe, primo autem Sabbathorum die (τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων) h.e. die ſolis, cum conuenerint diſcipuli ad frangendum panem, Paulum poſtridie exiturum diſſeruiſſe illis, ſermonemque extendiſſe vsque ad medium noctis. Secundo id 138
probant ex verbis Apoſtoli *1. Cor. XVI. 1. 2.* vbi hæc verba leguntur: *De collectione vero in ſanctos, ſicut diſpoſui in eccleſiis Galatiæ, ita etiam vos facite. Singulis primis Sabbathorum* (κατὰ μίαν σαββάτων) *quilibet veſtrum apud ſe ipſum ponat in theſaurum, quicquid commodum fuerit, ne quando venero, tunc collectiones fiant.* Ex quo loco dicunt probari poſſe, quod ſingulis diebus primis Sabbathi, hoc eſt ſingulis diebus ſolis conuenerint. Tertium denique argumentum deſum- 139
tum eſt ex *Apocal. I. 10.* vbi Ioannes dicit, ſe fuiſſe in Spiritu *die dominico*, hoc eſt, die illo quo Chriſtus reſurrexerat, & qui propterea dominicus dicebatur. Ab his vero alii diſ- 140
E ſentiunt,

ſentiunt, exiſtimantes ab Apoſtolis hoc nondum inſtitutum fuiſſe, partim quia in ſcriptura nullibi hoc expreſſum, cum tamen dubium non ſit, Apoſtolos aliquando mentionem eius diei ſolennis facturos fuiſſe; partim, quia hoc videtur doctrinæ Apoſtolorum aduerſum, vtpote qui defendebant libertatem, atque nolebant quenquam ad certũ diem adſtringi *Rom. XIV. 5. 6. Gal. IV. 9. 10. 11.* itaque nullo modo veritati conſentaneum eſſe, eos ipſos contra propriam doctrinam peccaſſe, & nouum iugum humeris Chriſtiano-
141 rum imponere voluiſſe. Ad argumenta contraria reſpondent quantum ad locutionẽ *μίαν σαββάτων*, vocem *μίαν* improprie quidem ſignificare primum vt *Ioh. XX. 1.* ſed proprie non primum ſed vnum; vt *Luc. V. 17.* *ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν*, vno die, ſ. quodam die, adeoque verba *Act. XX. 7.* vertenda
142 eſſe, non *primo*, ſed *vno Sabbathorum die.* Deinde licet hæc non ſint, ſed primus dies, ſeu dies dominicus intelligatur, non tamen ſequi, tum temporis conueniſſe diſcipulos, panem fregiſſe, ergo hoc ſemper illo die feciſſe, quin quod in Actis dicatur hoc quotidie factum eſſe *Act. II. 46. V. 42.*
143 Ad alterum argumentum reſpondent iterum primo ad verſionem, & deinde ad conſequentiam, non ſequi ſingulis primis Sabbathi vnumquemuis debere ſeponere quædam in theſaurum, ergo ſingulis diebus illis conuenire debuiſſe Chriſtianos; maxime cum expreſſe Apoſtolus dicat: *quilibet veſtrum apud ſe ipſum ponat in theſaurum*, hoc eſt, in priuatis ædibus; non enim habuerunt publica templa, vbi quisque in ſubſelliis propriis habuiſſet ciſtam, in qua pecuniam aſſeruare poſſet, vti forte hodie in quibusdam locis
144 eſt. Potuiſſe ergo ſingulis diebus ſolis illos priuatim colligere pecuniam, vtut illis diebus non ſemper cultus diuini cauſa conuenerint. Ad tertium argumentum reſpondent, hoc plane non ſtringere, cum ſola diei dominici denominatio non oſtendat, illo die quoque ſe cultum diuinũ habuiſſe.

Digitized by Google

habuiſſe. Vocaſſe Ioannem eum diem dominicum, quia Dominus ipſi eo tempore ſpecialem gratiam reuelationis fecerit. Vide pro hac poſteriori ſententia fuſe differentem virum, inter theologos Reformatos, magnæ autoritatis, Franciſc. Gomarum *tr. de Origine Sabbathi cap. 6.*

Nos hic in re incerta cuilibet liberum relinquimus, 145
cui claſſi adſtipulari velit, nam vtraque ſententia coniecturis nititur, quamuis non negari poſſit, poſteriorem ſententiam, quæ & nobis videtur probabilior, etiam illa coniectura adiuuari, quod veſtigia in hiſtoria Eccleſiaſtica non reperiantur, conſtanter diem ſolis cultui publico deſtinatum eſſe, niſi circa finem ſeculi primi, vbi ſcriptores eius mentionem faciunt, cum tamen non probabile ſit, eos ſtudio hæc tacere voluiſſe, ſi iam ab ipſis Apoſtolis res ita fuiſſet ordinata. Primus videtur eſſe Iuſtinus, qui *in Apol. II. p. 98.* eius meminit, aſt non tanquam legis & inſtituti Apoſtolici, ſed tanquam conſuetudinis. vid. Dn. Arnold. Abbild. *l. 2. c. 4. §. 5. ſeqq.* vbi §. 8. in Eccleſiis orientalibus diu & Sabbathi & ſolis diem ſimul cultui publico adhibitum eſſe, docet. Add. Oſiander *tract. de Sabbatho. tit. de Diei domin. qualitate.* Quicquid ſit: etiamſi concedamus Apoſtolorum 146
ſuaſu hunc diem primum in ſeptimana, cultui diuino, & congregationibus Chriſtianorum deſtinatum eſſe, id tamen nunquam concedi, nec ex ſacris litteris probari poteſt, Apoſtolos legem illam rigoroſam de obſeruando tam ſtricte Sabbatho, in diem dominicum transferre, & ita nouum onus & iugum in humeros Chriſtianorum deuoluere voluiſſe. Satis patet contrarium ex locis ſcripturæ ſupra adductis *Col. II. 16. 17. Rom. XIV. 5. 6. Gal. IV. 9. 10. 11.* add. *Gal.* 147
III. 24. 25. Vt adeo mirum in modum iudaizare videantur illi ex Theologis Chriſtianis, qui rigorem illum legis Moſaicæ ad obſeruationem diei ſolis extendere ſolent. Sed de hoc inferius.

148 Nunc tantum inquiramus, quæ cauſa fuerit quod in eccleſia dies ſolis cultui communi & publico deſtinatus ſit. Non (1) abſque fundamento eſt ſententia Spenceri *de Leg. Hebr. Ritual. l. 1. c. 4. Sect. 13. corol. 1.* vbi ita cauſam eius inſtituti exponit: *In Chriſtianiſmi naſcentis exordio tuo erant maxime conſpicui Chriſtianæ religionis aduerſarii, Ethnici nimirum & Iudæi. Ethnici Diis falſis & ceremoniis impuris, Iudæi Moſi ſoli & legis inſtitutis addictiſſimi. Quatenus itaque Chriſtiani diem vnum e ſeptem otio ſacro dedicabant, teſtimonium aduerſus Ethnicos exhibebant, & ſe Deum illum colere, qui mundo ſex diebus condito, ſeptimo ceſſauit, aperte profitebantur: Quatenus autem diem primum e ſeptem, ſanctum & celebrem habuerunt, luculenter indicarunt, ſe Deum colere (non vt redemptorem ex Ægypto, ſed) vt Patrem Domini Ieſu Chriſti, qui primo die ſurrexit a mortuis, & illam a dæmone & peccato redemtionem præſtitit, cuius illa ex Aegypto redemtio typum tantum & vmbram geſſit.* Et
149 hæc forte fuit cauſa externa. Sed & (2) fuit alia cauſa interna, orta ex conditione & qualitate Chriſtianorum. Cum enim in cœtu eorum etiam fuerint rudes & infirmi, vt hi inſtrui publice de vera fide, & ad vitam pie agendam admoneri poſſent, e re eſſe viſum fuit, certum aliquem diem ſtatuere, vt ſciant quando conuenire debeant, vti ex Origine teſtatur Dn. Arnold. in der Abbildung der erſten Chriſten *l. 2. c. 4. §. 13. in fin.* Quæ & Lutheri ſententia eſt *Tom. VII. Witteb. fol. 399. fac. b. Summæ,* wir ſtellen ſolche Ordnungen gar nicht um deren willen an/ die bereits Chriſten ſind: denn die dürffen der Dinge keines/ um welcher willen man auch nicht lebt; ſondern ſie leben um unſert willen/ die noch nicht Chriſten ſind/ daß ſie uns zu Chriſten machen; Sie haben ihren Gottesdienſt im Geiſt. Aber um derer willen muß man ſolche Ordnung halten/ die noch Chriſten ſollen werden oder ſtärcker werden. Gleichwie ein Chriſt der Tauffe/ des Worts und Sacrament nicht darff als ein Chriſt/ denn

er

Digitized by Google

er hats ſchon alles / ſondern als ein Sünder. Allermeiſt aber geſchichts um der Einfältigen und des jungen Volcks willen/welches ſol und muß täglich in der Schrifft uñ Gottes Wort geübet werden / daß ſie der Schrifft gewohnet / geſchickt/läuffig und kündig drinnen werden/ihren Glauben zu vertreten/ und andere mit der Zeit zu lehren / und das Reich CHriſti helffen mehren. Um ſolcher willen muß man leſen/ ſingen / predigen / ſchreiben und tichten / und wo es hülfflich und förderlich darzu wäre/ wolte ich laſſen mit allen Glocken darzu läuten / und mit allen Orgeln pfeiffen/und alles klingen laſſen was klingen könte. *It. in Catechiſmo Maior. Præcept. III.* his verbis: *Nos dies feſtos celebrare, non propter intelligentes & eruditos Chriſtianos, hi enim nihil opus habent feriis.* Vbi (3) ſubiungit aliam cauſam natura- 150
lem, verbis ſequentibus: *Etiam corporalis cuiusdam cauſæ & neceſsitatis gratia, ſeruorum, ancillarum, qui per totam hebdomadem laboribus ſeruierunt, vt & ipſi habeant, qua ab operibus reſpirantes ſemet ex labore reficiant, & corpora feſſa quiete firmare queant.* Neque vero (4) cauſa hæc fuit, quaſi dies primus 151
in ſeptimana ſanctior & præſtantior reliquis fuerit: quo pertinent verba Lutheri *d. l. Sed hoc, inquam, apud nos non perinde certis temporibus, ſicut apud Iudæos alligatum eſt, vt ei rei hic aut ille dictus aut præſtitutus ſit: NVLLVS ENIM DIES ALTERO EST MELIOR AVT PRAESTANTIOR: verum hæc quidem quotidie fieri debebant, ſed quando multitudo præpedita negotiis intereſſe nequeat, ad minimum vnus aliquis dies per hebdomadem huic rei ſeruiendæ eligendus eſt.* Vti & (5) dies ſolis cultui 152
diuino deſtinatus non ideo, quia hoc omnino neceſsitatis fuerit, & is dies per modum legis ſit obſeruandus, ſed tantum boni ordinis cauſa, vt tamen libertas Chriſtiana hoc ipſo non coarctetur. Notabilia hanc in rem ſunt verba Auguſt. Confeſſ. *art. 7. p. 43. Qui iudicant eccleſia autoritate, pro Sabbatho inſtitutam eſſe diei dominici obſeruationem, tanquam*

neceſſariam, LONGE ERRANT. Scriptura abrogauit Sabbathum, quæ docet omnes ceremonias Moſaicas, poſt reuelatum Euangelium, omitti poſſe. Et tamen quia opus erat conſtituere certum diem, vt ſciret populus, quando conuenire debeat, apparet Eccleſiam ei rei deſtinaſſe diem dominicum, qui ob hanc quoque cauſam videtur magis placuiſſe, vt haberent homines exemplum CHRISTIANAE LIBERTATIS, & ſcirent, NEC SABBATHI NEC ALTERIVS DIEI OBSERVATIONEM NECESSARIAM ESSE. Et poſt pauca: *Aliqui diſputant diei dominici obſeruationem non quidem iuris diuini eſſe, ſed quaſi iuris diuini; præſcribunt de feriis, quatenus liceat operari. Huiusmodi diſputationes quid ſunt aliud, niſi LAQVEI CONSCIENTIARVM?* Similia habet Lutherus *Tom.VII.Witteb.fol.399.fac.2.* Vor allen Dingen will ich gar freundlich gebethen haben/ auch um GOttes willen/ alle diejenigen ſo dieſe unſere Ordnung im Gottesdienſt ſehen/ oder nachfolgen wollen/ daß ſie ja kein nöthig Geſetz daraus machen/ noch iemands Gewiſſen damit verſtricken/ oder fahen/ ſondern der Chriſtlichen Freyheit nach ihres Gefallens brauchen/ wie/ wo/ und wie lang es die Sachen ſchicken/ oder erfordern. Qui plura deſiderat ex Luthero pro noſtra ſententia, legere poteſt ea quæ habet *Tom.IV.Ien.Germ.fol.515.ſeqq.*

153 Quod ergo nunc ad obligationem diei Dominici pertinet, facile, quid dicendum ſit, ex antecedentibus fluit. Et primo quidem inde liquidum eſt, non adeſſe obligationem iuris diuini, cum iure diuino hic dies ſtatutus nuſpiam ſit. Vnde & in Auguſtana confeſſione *art.7.* verbis antea adductis, eiusmodi ſententia, qua obſeruatio diei dominici iuris diuini vel quaſi iuris diuini dicitur, vocatur
154 laqueus conſcientiarum. Ex quo etiam facile cognoſci poteſt, quam fruſtra illi ſint, qui autoritatem huius diei ſtabilire intendunt, conquiſitis ex veteri teſtamento argumentis, vbi ſanctiſſima obſeruatio Sabbathi iniungitur Iudæis,

dæis, & violatoribus grauiſſima pœna dictatur: Ibi enim de ſanctificatione Sabbathi iudaici agitur, quod ſublatum eſſe, tot ſolidiſſimis rationibus teſtimoniisque antea probatum eſt. An ergo nulla omnino adeſt obligatio ad ob- 155
ſeruationem eius ſtringens? Hoc autem non aſſerimus. Scilicet: debet dies dominicus originem inſtituto eccleſiæ. Cum enim viderint primi Chriſtiani, ſi nullus omnino certus dies ſtatuatur cultui publico, ſed res cuiusuis libero arbitrio relinquatur, imperitam plebem laboribus variis ſecularibus, & negotiis mundanis occupatam, hac ratione a cultu Dei abſtrahi, veraque doctrina, qua ratione in vera fide & abnegatione ſui vitam tranſigere, Deumque ex toto corde colere debeant, imbui commode non poſſe; neceſſitate non abſoluta, ſed hypothetica ducti, certum diem ſtatuere voluerunt, quo omnes conuenire poſſint, vt inſtruantur in articulis credendorum & agendorum, excitenturque ad laudandum Deum ipſique ſeruiendum. Inde 156
tamen non ſequitur, neminem ad eius obſeruationem obligari, adeſt enim hic fundamentum aliquod genuinum obligationis. Siquidem ex ſacris litteris manifeſtum eſt, obligari vnumquemuis, vt quærat præcipue ea quæ regni Dei ſunt, & huic reliqua omnia negotia poſthabeat. *Matth. VI.33.* Cum ergo, in quonam regnum Dei conſiſtat, & quo id modo adquiri posſit, doceatur præfinito die dominico, vt hanc ſe erudiendi occaſionem nemo facile negligat, vera adeſt in conſcientia obligatio. Et huc pertinet illud 157
Apoſtoli monitum *Hebr. X. 25. Non derelinquamus congregationes noſtras, vt mos quibusdam eſt.* Vbi quamuis de congregationibus tantum priuatis loquatur, quin tamen ob paritatem rationis idem quoque ad congregationes publicas, quæ die dominico inſtituuntur, applicari posſit, dubium non eſt. Ex quo fundamento tamen patet, tum nullam 158
adeſſe obligationẽ iſtiusmodi congregationes publicas frequen-

Digitized by Google

quentandi, quando conſtat, homines a quibusdam doctoribus eccleſiæ abduci a vera via anguſta in viam illã latam, quæ ad gehennam ducit: hoc eſt, quando neceſsitas premendi veſtigia Chriſti, crucifigendi carnem & concupiſcentias, abnegandi ſe ipſum & omnes res mundanas, ſe non conformandi mundo, ſeruandi præcepta divina, non modo non vrgetur, ſed plane contrarium docetur, ac fides tantum commendatur mortua & cerebrina &c. Cum enim tunc nullo modo iſtiusmodi doctrina emendari mores poſſint, ſed potius corrumpantur, nulla quoque eiusmodi doctrinam audiendi adeſt obligatio, vsque dum congregationes publicæ a malis iſtis doctoribus fuerint purgatæ. *Impii* enim *doctores deſerendi ſunt, quia hi iam non funguntur perſona Chriſti, ſed Antichriſti*, vt habent verba Apologiæ Auguſtanæ Confeſſionis *art. 8. p. 155. in fin. plura vide in Diſſ. de Iure*
159 *liciti, ſed non honeſti cap. III. n. 96.* Sed & illud ex modo dictis conſequitur, non tantam eſſe hanc obligationem in adultis in Chriſtianismo, quam infirmis & imperitis, cum illi iam ex vnctione ſpiritus ſancti *1. Ioh. II. 20. Ioh. XIV. 26. XVI. 13.* intelligant, quomodo colendus Deus ſit, & quibus moribus virtutibusque incedendum Conf. Lutheri verba
160 ex Catechismo mai. ſupra *n. 199.* citata. Quanquam aliqua etiam in adultis adſit obligatio, non plane deſerendi conuentus publicos, ne ſcandali occaſionem ſuppeditent, ſed vt ſuo potius exemplo infirmos præeant.

161 Quod autem ad illam quæſtionem adtinet, an ab operis & laboribus ordinariis abſtinere die dominico oblige-
162 mur? pariter illa deciſio ex ſupra dictis fluit. Scilicet, non eadem eſt obligatio ad quietem corporalem, quam quæ olim fuit die Sabbathi, tũ enim ex lege Moſaica obligabantur Iudæi abſtinere ab omni operatione corporali: Quæ lex Moſaica cũ fuerit ceremonialis, in nouo teſtamento ceſſat, cum & cultus noui teſtamenti nullo modo debeat eſſe coa-

ctus

ctus ſed liber *Ier. XXXI.31. 32. 33.* Sed dixeris, audio tamen 163
a doctoribus eccleſiæ, dum abſtinendum eſſe a laboribus
die dominico docent, ſubinde prouocari ad illam Moſis interdictionem & maledictionem diuinam iis annunciatam, qui ſanctitatem Sabbathi fregerint. Reſpondeo: Non omnia, quæ fiunt, recte fiunt, imprudenter ſane agere iſtiusmodi doctores, ſalua ceteroquin eorum autoritate, manifeſtum eſt. Nam aut lex illa Moſaica de non operando die Sabbathi hodie ceſſat, aut adhuc obligat; Si illud, neque inde poteſt peti argumentum; Si hoc, non tantum particula eius, ſed tota illa lex nos obligare debet. Et ſic onus humeris Chriſtianorum nouum imponitur, a quo tamen ipſos liberauit Chriſtus, vti ſupra *n. 114. ſeqq.* probatum eſt.
Sed poſito etiam nos hodie pariter illa lege Moſaica obſtringi, neceſſum hic erit, vt ipſi iſti doctores eccleſiæ ſuum 164
errorem publice agnoſcant. Annon enim iubent, vt ancillæ & ſerui cibum præparent die dominico? Hoc autem expreſſis verbis prohibitum eſt a Moſe *Exod. XVI.23. XX. 10.* An ſolent homines permittere, vt equi & omnia animalia quieſcant die dominico? Hæc vident iſti, ſed nunquam improbant, ipſi quoque ſæpisſime itinera ſuſcipiunt die dominico, & epulis lautisſimis interſunt. Quæ ergo rationis diuerſitas erit, in quibusdam non abſtinendum eſſe ab operibus, & in quibusdam eſſe abſtinendum? Aut ergo omnino non laborandum, aut dicendum illam legem nos hodie non ſtringere.
Quid ergo dicemus? adhuc puto 165
abſtinendum eſſe eo die a laboribus ordinariis, verum non ex obligatione legis Moſaicæ, a qua liberati ſumus, ſed ex alio fundamento, ſcilicet ex indole cultus diuini in nouo teſtam. requiſiti.
Et primo quidem, quia iſte dies ſtatutus 166
eſt, publicæ informationis & admonitionis cauſa, vti dictum. *n. 155.* per operas priuatas & domeſticas autem aliquis impeditur congregationibus publicis intereſſe, ab his

F merito

merito abſtinere, & primum ea curare debet, quæ regni
167 Dei ſunt. *Matth. VI. 33.* Deinde cum iſta, quæ publice in-
culcata ſunt ruminatione opus habeant, & neceſſum etiam
ſit, vt ſuperſit tempus precibus, quibus auxilium & vires
a Deo implorare queamus, omnino res ipſa poſtulat, vt
reliquum diei dominici ſpatium huic rei deſtinandum, la-
boribus ſecularibus non impediatur; cum ita facillime ite-
168 rum ea, quæ hauſta ſunt, diſpellantur. Sed & hoc ipſum ex
nulla legis neceſſitate, rerum libera voluntate, cum cultus
noui teſtamenti liber eſſe debeat, faciendum eſt; ſed & ma-
gis hoc incumbit infirmis, quã adultis, qui in bono per Spiri-
tum Sanctum confirmati ſunt. Quo pertinent verba Luthe-
ri *in tr.* von guten Wercken *Oper. Ien. Tom. I. fol. 242.* Dieſe
Ruhe oder Auffhören von Wercken iſt zweyerley / leiblich
und geiſtlich. Darum wird diß Gebot auch zweyerley ver-
ſtanden. Die leibliche Feyer oder Ruhe iſt / davon droben
geſagt iſt / daß wir unſer Handwerck und Arbeit anſtehen
laſſen / auff daß wir zur Kirche uns ſammlen / Meſſe ſehen /
GOttes Wort hören / und ingemein einträchtig beten /
welche Feyer wiewol ſie leiblich iſt und hinfürder in der Chriſten-
heit nicht gebothen von GOTT / wie der Apoſtel zum Col.
am II. ſaget: Laſſet euch von niemand verpflichten / zu ir-
gend einen Feyertage / denn dieſelbe ſind vorzeiten Figur
geweſen / nun aber iſt die Warheit erfüllet / daß auch alle
Tage Feyertage ſind / wie Ieſaias im LXVI. ſaget: Es
wird ein Feyertag am andern ſeyn / wiederum alle Tage
Werckeltage: doch iſt ſie noth / und von der Chriſtenheit ver-
ordnet / um der unvollkommenen Leyen und Arbeits-Leu-
ten willen / daß die mögen auch zum Worte GOttes kom-
men. - - Und wenn wir alle vollkommen wären / und
das Evangelium köndten / möchten wir alle Tage wircken
ſo wir wolten / oder feyren ſo wir könten. Denn die Feyer
iſt itzt nicht noth noch gebothen / deñ allein um des Wortes
GOt-

GOttes willen/ zu lehren und zu beten. Vbi in ſequentibus addit, reſpici hic ad quietem ſpiritualem, quam deſcribit: daß wir nicht allein die Arbeit und Handwerck laſſen anſtehen/ ſondern vielmehr / daß wir allein GOtt in uns wircken laſſen/und wir nichts eigenes wircken/in allen unſern Kräfften &c. Sane ſola quies a laboribus Deo grata 169
eſſe non poteſt, ſi coacte abſtineamus a laboribus, & non potius libere, vt vires animæ noſtræ, per labores quotidianos diſperſas, colligamus, & vnitis viribus animam ad Deum eleuemus, vt nutriri cœleſti manna, & confortari poſſit. Vnde etiam videmus quotidie, maius malum hoc 170
ipſo effici, quod plebeii homines, quibus nullus diuini numinis ſenſus ineſt, nulla cupiditas perueniendi ad quietem ſpiritualem, a laboribus tantum externis tam crudi ſenſu auocentur. Hi enim, dum prohibentur laborare, diem dominicum poſt peracta ſacra in otio & voluptatibus tranſigunt, & omnes cupiditates carnis in hunc diem per totam ſeptimanam differunt: qui haud dubie minus peccarent, ſi non ceſſarent a laboribus, ſed operarentur. Ad hos pertinet, quod Auguſtinus *in Pſalm. XCI.* de Iudæis dicit: *Melius eſt die Sabbathi (dominico) operari, & agrum colere, quam ſaltare.* Quo & facit Chryſoſtomi locus, quem adducit Dn. Arnold. Abbild. *l. 2. c. 4. §. 12.* & verbis germanicis ita effert: Es mag einer zur Ehre GOttes ein Feſt zu feyren meynen wie er wolle / ſo iſt es GOtt eine Schmach/ wenn ers in Schande und Sünde thut.

Vt vero conſtet, qua intentione hanc libertatem noui 171
teſtamenti defendamus, nec aliquis mentē nobis ſiniſtram affingat; ante omnia conteſtamur ſanctiſſime, non animum eſſe, defendendi effrenatam illam libidinē malorum hominū, ſed, vt Caluinus *l. 2. Inſtit. c. 8. §. 34.* & imprimis Coccejus *Tom. 6. Opp. Diſpp. Select. p. 43. 44.* & Lutherus *l. c.* pro Chriſtiana libertate die Sabbathi pugnarunt, & tamen

 nullum

nullum licentiæ malorum hominũ locum reliquerunt; ita
& ſententia noſtra eo tendit, non vt homines auocentur a
ſacris publicis, & moneantur, vt nullo modo die dominico
ſe abſtrahi patiantur a laboribus ſecularibus,&illud eccleſiæ
inſtitutum flocci habeant; tantum abeſt, vt hoc intenda-
mus, vt potius firmiſſime credamus, non ſatis laudari De-
um poſſe, quod pro infinita miſericordia ſua nobis adhuc
permittat publicos conuentus, & liberam Euangelii præ-
dicationem. Agnoſcendum etiam gratisſima mente, &
inter beneficia Dei maxima referendum, quod ſingulis ſe-
ptimanis certo die nobis permittatur requies animæ,& ceſ-
ſatio a duris laboribus huius ſeculi:quodſi non eſſet,o quam
dura ſeruitute nos vinctos tenerent illi,qui in mundo domi-
nantur? quin quod ipſum corpus continuos iſtos labores
diu perferre non poſſet. Hæc omnia maximi facimus,ſua-
demusque,vt omnes, qui Chriſtiani vocari volunt, hanc
commodiſſimam occaſionem,hauriendi ſaluberrimas do-
ctrinas,ſecundum quas vitam vere beatam degere posſint,
nullo modo negligant,ſed potius ambabus, quod dicitur,
manibus amplectantur,inque eo toti ſint,vt ad veram ani-
172 mæ quietem peruenire hoc medio poſſint.Interim tamen
non peruerſo ſed vero ſenſu, quo modo ſanctificandus hic
dies ſit, imbuendi; ſcilicet tali modo, qui conueniens eſt
Euangelio,& indoli cultus interioris,qui in nouo teſtamẽ-
173 to exigitur.Qua ratione ille (1) abuſus tollitur, quo homi-
nes imperiti exiſtimant, huius tantum diei ſingularẽ eſſe
ſanctimoniam, vide verba Lutheri *n. 151.* citata, non & ce-
teros dies hebdomadis ſancte tranſigendos; hoc tantum
die colendum eſſe Deum, orandum eſſe, a vitiis abſtinen-
174 dum eſſe, non & reliquis diebus. Sed & (2) hoc modo ex
animis hominum praua illa ſententia eruitur,in his publi-
cis conuentibus, die dominico inſtitutis, & actibus exter-
nis, conſiſtere verum cultum diuinum,qui Deo ſolus ſuffi-
ciat,

Digitized by Google

ciat, cum tamen negotia iſto die ſuſcepta tantum præparatio quædam ſint, quibus homini ſeruitur non Deo, Gott dienet damit dem Menſchen/der Menſch nicht GOtte/dum ſcilicet homo inſtruitur, eruditur, ipſi via ad veram felicitatem & vitam æternam oſtenditur, vt deinde per totum vitæ tempus ſeruire Deo, eumque in ſpiritu & veritate colere poſſit. Nec minus (3) falſa hypotheſis ita tollitur, ſuffice- 175
re, ſi ſingulis diebus dominicis ab externis laboribus abſtineant homines, etiamſi ceterum in otio & voluptatibus diem transigant; qui error tam firmiter impreſſus eſt animis vulgi, vt difficillime eximi poſſit. Vt nunc (4) taceam, con- 176
trariam ſententiam, qua per modum legis externa obſeruatio diei dominici, & abſtinentia a laboribus iniungitur, infinitos angores in conſcientiis proborum excitare, & laqueis eos conſtringere: vide verba Aug. Confeſſ. *n. 152.* adducta: quos diſpellere & ſoluere non licet, niſi ex principiis hactenus a nobis ſuppeditatis. Conferatur omnino tractatus germanico idiomate conſcriptus, cuius titulus eſt: **Das befriedigte Gewiſſen über der Feierung des Sabbaths.**
Sed & (5) officia magiſtratus circa Sabbatha Chriſtianorũ, 177
ſeu diem dominicum, de quibus in ſequenti Cap. agetur, non aliter rite deſcribi poſſunt, quam his fundamentis rite ſuppoſitis, vt adeo veniam nobis polliceamur a B. L. quod hic paulo diutius ſubſtiterimus. Concludimus nunc præ- 178
ſens caput, verbis Chryſoſtomi, quæ *in Homilia 40. in S. Matth. c. 12.* talia reperiuntur: *Cur tantam vtilitatem, quantam Sabbatho conſequebantur Iudæi, abſtulit Chriſtus? Immo non abſtulit, ſed felicitati illi addidit incrementa. Tempus enim iam aderat, quo per altiora eſſent erudiendi: nec oportebat manus illius hominis vinculo coerceri, qui prauitatem ſponte odiſſet & virtutis ardore ſublimius volaret: Nec de hinc diſcere, a Deo ſolo creata eſſe omnia: Nec decebat eos Sabbathi monitu mites & humanos eſſe, qui ad clementiæ diuinæ imitationem vocantur:* (*Luc. VI. 36.*) *Nec vnum di-*

em ſolennem agere ipſos, quibus tota vita ſolennitas eſt: (1. Cor. V. 8.) Nec iuxta Dei arcam aſſiſtere, & altare aureum eos, qui Creatorem omnium in ſe ipſis habent habitantem, multisque modis ipſos alloquentem. Quid igitur Sabbato opus eſt illi, qui per totam vitam ſuam agit ſolennitatem, & cuius in cælo conuerſatio eſt?

CAP. II.
DE
IVRE ET OFFICIO MAGISTRATVS CIRCA SABBATHVM.

Conſpectus.

QVid hic per Sabbathum intelligatur. n. 1.
Quid per magiſtratum. 2
An principi competat ius circa ſacra 3. 4.
Diſtinctio Ziegleri inter poteſtatem eccleſ. internam & externam. 5
Proprie non datur poteſtas interna. 6
Externa competit principi. 7
Defenditur ius principis circa ſacra. 8.
(1) *ob naturam ſummæ poteſtatis.* 9
(2) *quia princeps eſt moderator ſalutis publicæ.* 10. 11.
(3) *Quia omnis anima ſubiecta eſt magiſtratui.* 12.
(4) *Quia hæc norma regibus a Deo præſcripta, vt ſecundum legem diuinam iudicent.* 13. 14.
(5) *Quia reges ſunt nutrices & lactatrices eccleſiæ.* 15.
(6) *Quia ſunt præfecti regni Dei.* 16. *ſeqq.*
In quo conſiſtat ius circa ſacra. 19.
Euitanda papo-cæſaria, & cæſaro papia. 20.
Res tantum externæ, iure diuino non ordinatæ, ſunt obiectum iuris ſacrorum. 21.
An diſtinctio inter externa & interna tolerari poſſit. 22.
Quæ ad interna referantur. 23.
Quæ ad externa. 24.
Neque in externis princeps liberam omnino poteſtatem habet. 25.
Sed ſubſiſtendum in iis, quæ iure diuino

no expreſſe definita. 26.
Quomodo tamen concurrere poſſit principis poteſtas. 27.
Quid obſeruandum Ppi in negotiis iure diuino non expreſſe definitis. 28
Quo ſenſu ſit vtriusque tabulæ cuſtos. 29
Quo ſenſu ſit epiſcopus in externis. 30
Error quorundam miniſtrorum eccleſiæ. 31.
Inde ſequitur competere principi ius circa Sabbathum. 32.
An princeps loco diei conſueti alium diem Sabbatho deſtinare poſſit. 33
Affirmatur quæſtio. 34.
Omnem vero cultum publicum tollere non poteſt. 35.
Nec rariorem facere cultum. 36.
Non tamen bene faceret princeps, ſi diem iſtum mutaret. 37. ſeqq.
Sequitur officium principis circa diem Sabbathi. 43.
Princeps ad ſcopum diei dominici reſpicere debet. 44. 45
Principi neceſſaria eſt notitia ſacrarum litterarum. 46
Et diuerſitatis eccleſiæ noui & vet. teſtamenti. 47
Promouere princeps cultum diuinum debet.
(1) Suo exemplo. 48.
(2) Liberum cultum præſtando. 49
Etiam priuatum, promouendo collegia pietatis, 50. ſeqq.
(3) Inſuper & homines legibus ſui officii admonendo. 51. ſeqq.
(4) Locum, tempus, & modum cultus diuini ordinando. 60
An cogere poſſit ſubditos ad cultum publicum. 61.
Sententia affirmantium. 63.
Negantium. 64
Noſtra. 65. ſeqq.
Princeps neminem cogere poteſt ad actum conſcientiæ ſuæ contrarium. 69. 70
Quomodo procedendum ſit cum eo, qui errantem habet conſcientiam. 71
Hinc nec Iudæos cogere poteſt, vt interſint concionibus Chriſtianorum. 72.
Bene tamen vt conuentum extraordinarium inſtituant, & cum Chriſtianis de religione amice conferant. 73
Abuſus diſputationum cum hæreticis & infidelibus. 74. ſeqq.
(5) Curando vt pii & cordati theologi præficiantur miniſterio eccleſiaſtico. 79. 80. 81.
Quomodo princeps procedere debeat removendo impedimenta. 82. 83.
Dubium remouetur. 84.
Generalis regula. 85.
Prohibenda ſunt negotia illicita. 86. ſeqq.
Veluti compotationes & ſaltationes. 89
Sententia diſſentientium. 90. 91
Reiicitur. 92. ſeqq.

Lau-

Laudatur edictum regis Boruſſiæ. 94
Prohibenda ſunt conuiuia. 95. *ſeqq.*
An etiam celebratio nuptiarum? 110
Rationes pro ſententia negantium. 101
Affirmatiua defenditur, propter hodiernam peſſimam conſuetudinem plerorumque in contrahendis nuptiis. 102. *ſeqq.*
Prohibendæ ſunt comœdiæ. 105. *ſeqq.*
Laudantur reſcripta potentisſimi regis Borusſiæ. 109.
Negotia licita etiam, quæ ſcopum diei Sabbathi tollunt, prohibenda. 110. 111.
Qualia ſunt exercitia artis ſagittariæ, palæſtræ, pila &c. 112. *ſeqq.*
Nundinæ. 115
Opera. 118.
Ex quo fundamento hæ prohibendæ. 119. *ſeqq.*
De officio magiſtratus inferioris, ſeu Conſiſtorii. 125.
Conſiſtoriorum ius eſt ex concesſione principis. 126
Conceſſa iis eſt generalis directio & cognitio in eccleſiaſticis. 127
Et ſic quoque cura circa diem Sabbathi. 128
Eorum officium dependet ex officio principis. 129.
Ante omnia bono exemplo præire debent Conſiſtoriales. 130. 131. 132.
Quid requiratur in Aſſeſſore Conſiſtorii. 133.
Promouere debent verum Dei cultum. 134. 135.
Remouere impedimenta. 136
Exequi laudabiles conſtitutiones principis. 137
Et in genere, promouere pietatem, & impietatem tollere. 138
Quomodo puniendi ſint violatores Sabbathi. 139. 140
Punienda etiam Conſiſtoria, ſi officium ſuum recte non faciant. 141. 142

1 IVra & officium magiſtratus circa Sabbathum expoſituri, illud hic ante omnia præmonendum eſt, nos in hoc & ſequentibus capitibus vocem Sabbathi quidem retinuiſſe, non tamen reſpicere ad Sabbatha Iudæorum, ſed ad Sabbathum Chriſtianorum ſeu diem dominicum, qui non raro illo nomine venire ſolet.

2 Deinceps circa vocem magiſtratus notandum eſt, eam eſſe generalem, omnibus iis competentem, qui regendis priuatis præſunt; dispeſci vero magiſtratum in *ſuperiorem*, ſeu ſummam poteſtatem, & *inferiorem*, ſeu poteſtatem ſubalternam, & a ſumma dependentem. Vtriusque iura

iura & officium circa Sabbatha Chriſtianorum, nunc conſiderabimus.

Quod ergo ad ſummum magiſtratum attinet, quem, 3
pro ſtatu monarchico, in plerisque locis vſitato, vno nomine principem vocamus, (ita tamen, vt eadem iura applicari ceteris ſummis poteſtatibus in ſtatu ariſtocratico, democratico, & mixto poſſint, imo & illis qui analogum quid maieſtatis habent,) ante omnia, ordinis & diſtinctionis cauſa, diſpiciemus, vtrum ius circa ſacra ei competat, & in quo illud conſiſtat. Equidem non eſt animus crambem 4
toties coctam recoquere, & hanc rem ab aliis abunde peractam repetere, quamuis forte non deeſſet, quod circa communem ſententiam, eiusque fundamenta, quæ ſæpe lubrica ſunt, moneri poſſet: Interim tamen aliquid fundamenti cauſa dicendum eſt, cum alias inoffenſo pede in reliquis ſpecialibus progredi non liceat. Quodſi enim nullum ius circa ſacra competit principi, fruſtra eſt, vt de eius officio circa Sabbathum agatur, cum hoc ex iure principis circa ſacra dependeat. Videtur autem Zieglerus, 5
ſummus ICtus & iuris eccleſiaſtici feliciſſimus interpres *in tract. de Iurib. Maieſtat. l. 1. c. 13. §. 14. & ſeqq.* rem non incommode expoſuiſſe, diſtinguendo inter poteſtatem eccleſiaſticam *internam* & *externam*. Illam dicit circa eccleſiaſtica exerceri eccleſiaſtice ſc. prædicando & interpretando verbum diuinum, adminiſtrando ſacramento, remittendo & retinendo peccata &c. Hanc circa eccleſiaſtica quidem, non tamen eccleſiaſtice, ſed modo quodam ciuili. Vbi nunc 6
non morari animus eſt circa voces, cum alias pluribus demonſtrari poſſet, non ſatis accurate dici, prædicationem & interpretationem verbi, adminſtrationem ſacramentorum &c. poteſtatis eſſe internæ, cum potius interior eccleſiæ ſtatus omnem poteſtatem reſpuat, & ita nulla detur poteſtas interna, cum omnis coactio, quæ neceſſario co-

 hæret

hæret poteſtati, abeſſe omnino debeat & miniſtris verbi, perſoniſque eccleſiaſticis, tantum directio, adminiſtratio, competat. Vnde recte Grotius, quando paſtoribus interdum *regimen* tribuitur, hoc intelligendum eſſe dicit, non de poteſtate iubendi quæ cum coactione coniuncta, ſed de regimine declaratiuo & ſuaſorio. *tr. de Iure ſummar. poteſt: circa Sacra. c. 4. n. 6. ſeqq.*
7 Nos hic tantum circa poteſtatem externam verſamur, de qua Zieglerus *d. l. §. 14.* ita diſſerit: *Et hinc patet poteſtatem eccleſiaſticam externam Principi ideo competere, non vt ſit præſes ſacrorum, ſed vt ſacrorum præſides in officio contineat, non eſſe ſacerdotalem & pontificialem, quæ in executione ſacerdotalium officiorum conſiſtit, ſed eſſe Imperatoriam, quæ ſacerdotes regit, vt ſuum officium faciant, quæque externam diſciplinam in eccleſia tuetur.* Vbi *§. 16. ſeqq.* probat, hanc externam poteſtatem non alteri alicui perſonæ eccleſiaſticæ, veluti pontifici, ſed principi competere vi maieſtatis.

8 Cui ſententiæ cum nos etiam ſubſcribamus in præſenti, nunc tantum pauciſſimis in cauſas huius iuris, principi
9 circa ſacra competentis, inquirendum. Et primo quidem ipſi naturæ ſummæ poteſtatis conueniens eſt hoc ius circa ſacra, cum ea ſit indoles maieſtatis, vt propter ſummitatem parem in Rep. poteſtatem non ferat, neque patiatur ad certa cauſarum genera adſtringi ſed indiſtincte ad omnes cauſas ſe extendat, quæ poteſtatem humanam admittere poſſunt; quales cum ſint cauſæ eccleſiaſticæ externæ, vtique & ſummæ poteſtatis arbitrio ſunt ſubiectæ: vti contra circa res conſcientiæ & fidei, cum nullam humanam pote-
10 ſtatem admittant, princeps nihil iuris habet. Accedit (2) quod princeps ſit director & moderator ſalutis publicæ, atque adeo omnibus quoque mediis finem iſtum obtinendi vti queat. Inter illa vero media primarium eſt, vt ſubditi ad pietatem ducantur, & cultus diuinus rite ordinetur. Siquidem & gentes ideo tantam ſacrorum curam habue-

runt,

runt, vt Deum ciuibus propitium conciliarent: Schilter. *In-*
ſtit. Iur. can. l. 1. tit. 1. §. 3. perſuaſi, alias veram ſalutem pu-
blicam obtineri non poſſe. Hæc enim vera eſt ciuitatis feli- 11
citas, *vt Dei ſit amans, & amata Deo, illum ſibi Regem, ſe illius*
populum agnoſcat, vt loquitur Auguſtinus *l. 5. de Ciuit. Dei c. 14.*
qui & *felices* dicit *reges*, *ſi ſuam poteſtatem, ad Dei cultum ma-*
xime dilatandum, maieſtati eius famulam faciant. Quorſum
pertinent egregia B. Brunnemanni verba, quæ *in tr. de Iure*
Eccleſ. l. 1. c. 2. §. 11. ita concepta ſunt: *O quam pios, modeſtos,*
virtuoſos ſubditos haberemus, quam felix ſtatus Reip. ſi omnes, præ-
ſuppoſita fide in Chriſtum ſaluifica, id vnice agerent, vt vitam ſu-
am cum Chriſti vita ex aſſe, quantum fieri poteſt, conformarent.
Si hæc omnium vel plerorumque eſſent ſtudia, hæc identidem in-
culcarentur, & omnes hoc, cum Auguſtino, perſuaſiſſimum habe-
remus, ſummam religionis Chriſtianæ eſſe, eum imitari quem colu-
mus; Si huc omnes deducerentur: quam felix eccleſia, felix Reſ-
publ. eſſet! Hoc autem vt fiat, omnino principi curandum eſt, cum,
vti dictum, vera religio plurimum conferat, ad vinculum Reip.
quod inter parentes & imperantes eſt, arctius continendum, quod
prolixe probat Conring. de Maieſt. auctor. circa ſacra th. 91. ſeqq.
Plura teſtimonia in re clara adferre neceſſum non eſt. Vn- 12
de & (3) Apoſtolus, omnem animam ſubiectam eſſe ma-
giſtratui, generaliter & ſine exceptione aſſerit *Rom. XIII. 1.*
ſeqq. addita ratione, quod nulla ſit poteſtas niſi a Deo, &
ſic eum, qui magiſtratui reſiſtit, ipſi ordinationi diuinæ re-
ſiſtere. Quæ vniuerſalis locutio etiam perſonas eccleſia-
ſticas magiſtratui ſubmittit, in omnibus cauſis, quibus, quod
voluntati Dei aduerſum non eſt, conſtituit magiſtratus. Ne- 13
que (4) hic omittendum, quod ipſe Deus, quando per
Moſen prædicit, quod populus Iſraeliticus regem poſtula-
turus ſit, hanc normam regibus futuris præſcribat: *Deut.*
XVII, 18. ſqq. Quando ſederit ſuper throno regni ſui, ſcribet ſibi exemplar le-
gis huius, vt ſit cum ipſo, legatque in eo omnibus diebus vitæ ſuæ, quo diſcat

timere Iehouam, Deum ſuum, ad cuſtodiendum omnia verba legis huius, & ſtatuta hæc, ſeruando ea. Vt non efferat ſe cor ipſius præ fratribus ipſius; & vt non recedat a præcepto ad dextram vel ſiniſtram: quo prolonget dies ſuper regno ſuo ipſe & filii ipſius in medio Iſraelis. Ex quibus verbis clarum eſt, curam ſacrorum
14 ab ipſo Deo regibus commiſſam eſſe. Et ne quis hic nobis regerat, quod alia & ſpecialis ratio fuerit in veteri teſtamento, vbi ſacerdotium & imperium intime fuit coniunctum, ceu & ipſi reges haud raro prophetæ fuerunt, reſpondeo, hanc conceſſionem omnibus regibus factam, & ab omnibus regibus id obſeruandum fuiſſe, etiam iis, qui non vt Dauid,
15 ſimul prophetæ fuerunt. Sed & (5) in nouo teſtamento eandem regibus curam eſſe debere ſacrorũ & legis diuinæ, euincunt verba prophetæ, qui de temporibus novi fœderis vaticinando, *erunt*, inquit, *reges nutritii tui, & principes lactatrices tuæ. Eſaias XLIX. 23. & cap. LX. 16. Vbera regum ſuges, vt ſcias quod ego ſim Iehouah, ſaluator tuus & redemtor tuus potens Iacobi.* Quid autem eſt cura ſacrorum aliud, quam regia eccleſiæ nutricatio? Vt adeo inde nobis manifeſtum ſit illos reges & principes, qui non ſalutem eccleſiæ omni ratione promouent, & illam curam ſacrorum negligunt, offi-
16 cio ſibi a Deo commiſſo, non rite fungi. Quibus (6) addimus, quod principes ſint præfecti regni Dei *Sap. VI. 5.* & vicarii, atque adeo iis omnino conceſſum ſimul ſit & demandatum, omnes hominum actiones, ac ita etiam negotia ſacra eo dirigendi, vt iis regnum Dei promoueatur; in quantum ſcilicet legibus externis, & humano imperio, fieri poteſt. Sed regnum Dei nunquam promouebitur, ſi non verus etiam cultus diuinus reſtauretur, & miniſtri eccleſiæ, ad officia ſua rite expedienda, adigantur.
17 Quorſum faciunt duo egregia loca Auguſtini, quæ huc tranſcribere non fuerit a ſcopo noſtro alienum. Ille autem *ad Creſcent. l. 3. c. 51.* hæc verba habet: *In hoc reges ſicut diui-*

nitus

nitus eis præcipitur, Deo ſeruiunt in quantum reges ſunt, ſi in ſuo regno bona iubeant, mala prohibeant, non ſolum quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verum etiam quæ pertinent ad diuinam religionem. Alter locus eſt *in Eph. 50. ad Bonifac.* vbi ita loquitur: *Quomodo ergo reges Domino ſeruiunt in timore, niſi ea, quæ contra iuſſa Domini fiunt, religioſa ſeueritate probibendo atq; plectendo? Aliter enim ſeruit, qua homo eſt, aliter qua etiam rex eſt. Qua homo eſt, ſeruit, viuendo fideliter; qua vero etiam rex eſt, ſeruit, leges, iuſta præcipientes, & contraria probibentes, conuenienti vigore ſanciendo. Sicut ſeruiuit Ezechias, lucos & templa idolorum, & illa quæ contra præcepta Dei fuerant conſtructa, deſtruendo. Sicut ſeruiuit Ioſias, talia & ipſe faciendo. Sicut ſeruiuit Rex Niniuitarum vniuerſam ciuitatem ad placandum Dominum compellendo. Sicut ſeruiuit Darius, idolum frangendum in poteſtatem Danieli dando, & inimicos eius leonibus ingerendo. Sicut ſeruiuit Nabuchodonoſor, de quo iam diximus, omnes in regno ſuo poſitos a blaſphemando Deo lege terribili probibendo. In hoc ergo ſeruiunt Domino reges, in quantum ſunt reges, cum ea faciunt ad ſeruiendum illi, quæ non poſſunt facere, niſi reges.* Optandum eſſet, hoc ſerio intendere omnes reges, & ita iure ſacrorum ipſis competente vti. O quam felix quam beata eſſet Reſpublica! Plura argumenta pro iu- 18
re ſacrorum principibus competente, qui deſiderat, præter laudatum Zieglerum adire poteſt Hug. Grot. *tract. de Imperio ſummar. pot. circa ſacra.* Tabor. *de Regim. Eccleſiaſt.* Conring. *de Maieſt. auctor. circa ſacr.* Gerhard. *loco de Magiſtratu Polit. §. 175.* Arniſæum *tr. de Iur. Maieſt. l. 2. cap. 3.* Linckium *tr. de iure Epiſcopali.* aliosque paſſim obuios autores.

Cum ergo ex ſuperioribus facile cuiuis conſtare 19
poſſit, competere ius circa ſacra ſummæ poteſtati, nunc porro videndum eſt, in quo illud conſiſtat. Scilicet, vti 20
ea, quæ dicta ſunt, hanc vtilitatem præſtant, vt euitetur

papo-cæſaria, hoc eſt, vt clerici nullum ſibi imperium externum arrogent, quod pontificis Romani myſterium eſt; ita nunc, aſſerta principibus poteſtate cauendum eſt, ne in alterum extremum prolabamur, & fundamenta *cæſaro-papiæ* ponamus, quod vitium inde prouenit, quando principes hac poteſtate ſua abutuntur, eamque extendunt, ad
21 ea negotia ipſis nullo modo ſubiecta. Scilicet res tantum externæ, iure diuino non ordinatæ, obiectum ſunt iuris ſacrorum, non autem res internæ fidem & conſcientiam re-
22 ſpicentes, vt iam ſupra ex Zieglero annotauimus. Equidem ſunt, qui hanc diſtinctionem inter externa & interna eccleſiæ negotia reiiciunt, ideo potiſſimum, quod iſta nunquam ſatis diſtinguantur: Nos autem in recenſendis, & confutandis argumentis, quæ contra illam diſtinctionem afferuntur, non hærebimus, cum grauiora nobis peragenda ſint, quam de verbis & nominibus diſputare. Hoc certum eſt, philoſophice non agere, qui diſtinctionem iſtam reiiciunt ex hac cauſa, quod non rite explicetur: vitium ergo latet, non in re ipſa, ſed in peruerſa explicatione. Quin potius rem penitus conſideranti illico patebit, neglecta iſta diſtinctione, vel papo-cæſariam, vel cæſaro-papiam eui-
23 tari non poſſe. Rem per compendium exponimus, dicendo, ad interna referri, primo fidem ipſam, & aſſenſum doctrinæ Chriſtianæ, religionemque, & conſcientiam, ad iſta enim, & quæ eo pertinent, neminem adigere princeps ſuo imperio poteſt, cũ conſcientiæ imperio humano non ſubiaceant. Ita ergo princeps formulam credendorum ſubditis vi imperii obtrudere, aut aliquem compellere ad id, quod conſcientiæ ſuæ, licet erroneæ, aduerſum credit, vt infra
24 dicetur, non poteſt. Externa autem ſunt, quæ ad ordinem in eccleſia obſeruandum pertinent; directio cultus externi, actionibus debitis tempus, locum, modum & perſonas præſcribere, impedimenta quoq; aufferre, interdum

præmia addere, illicitas vero actiones pœnis quibusdam, quæ in poteſtate ſunt imperantis, coercere, vti Grotius hos actus recenſet *d. tr. de Imp. S. P. c. 3. §. 4.* Hæc arbitrio Principis ſubſunt.

Iam itaque de modo vtendi ſumma poteſtate ſimus ſol- 25
liciti, vbi, quando aſſerimus circa actus externos Principi ius competere, nullatenus ipſi liberum omnino arbitrium, pro ſuo lubitu ſtatuendi quid velit, concedimus, ſed merito hic diſtinguendum eſt cum Grotio. *d. tr. c. 3. §. 2. ſeqq.* inter actiones lege diuina definitas & non definitas, in illis ſubſiſtendum principi in lege diuina, in his liberiorem poteſtatem habet aliquid ſtatuendi; Sed vero eatenus aliquid ſta- 26
tuere non poteſt in actionibus definitis iure diuino, quatenus illis contrarium ſtatueretur. Hinc verbi ſalutaris prædicatio & Sacramentorum exhibitio prohiberi efficaciter nequit, cum a Deo præſcribatur: nec formam, a Deo præſcriptam miniſterio verbi aut Sacramenti, mutare princeps poteſt: nec noua condere fidei capita: vt Grotius recte docet, *d. c. 3.*
§. 11. Interim tamen quæ iure diuino definita, adiuuare 27
ſumma poteſtas poteſt & debet; cuius quinque capita Grotius *d. §. 11.* tradit, quæ hic repetere omnino ex re noſtra eſt, cum inſeruiant iis, quæ poſtmodum de Sabbatho dicenda. *Primum* eſt, vt ea, quæ Deus imperat, libere, imo & commode, amotis impedimentis, datisque adminiculis, facere queamus. *Secundum*, vt lege humana, non tantum permittendo, ſed & iubendo, quod iubet lex diuina, noua ſuperaddatur obligatio. *Tertium*, vt ſumma poteſtas humana circumſtantias quasdam loci, temporis, modi, actionibus a Deo imperatis præſcribat, vt fiant *ἐυσχημόνως ϗ κατὰ τάξιν.* *Quartum*, vt per humanum imperium vetitis a Deo actionibus materia & occaſiones ſubtrahantur, ſiue ſcandala tollantur. *Quintum*, vt, pœnis propoſitis, homines ad ea adigant, quæ Deus iubet, & a vetitis abſterreant. Addimus, 28

in

in negotiis etiam iure diuino expreſſe non definitis, prin-
cipem tamen, (1) ad rationem iuris diuini, (2) ad indolem
eccleſiæ Chriſtianæ maxime noui teſtamenti, (3) ad exem-
plum primitiuæ eccleſiæ, quæ pro puriſſima merito habe-
tur, (4) ad vtilitatem eccleſiæ, & an iſte actus ad emendatio-
nem ac ædificationem quid conferat, reſpicere debere.
Quam in rem Zieglerus *de Iur. Mai. l. 1. cap. 13. & 14.* recte,
Hæc vero, inquit, *ſcilicet poteſtas externa, ad hominis imperium*
ſpectat, cum perpetua tamen ad ſcripturam ſacram & voluntatem
29 *diuinam reflexione.* Et hoc reſpectu, ſi ſcilicet ius circa ſacra
ex genuinis fundamentis ſuis deriuetur, & debitis terminis
circumſcribatur, recte princeps vocatur *Cuſtos vtriusque ta-*
bulæ, quæ locutio nihil iniqui continet, vt quidem nonnulli
volunt; ſed potius principem ſui officii admonet, ſi rite ex-
plicetur. Quo pertinent verba celebris theologi Refor-
mati, Sohnii *Tom. 3. theſ. de Magiſtrat. th. 32. & 34.* ſequén-
tia: *Cum autem dico magiſtratum diſciplinæ cuſtodem eſſe, intelli-*
ge, vtramque tabulam decalogi ei cuſtodiendum eſſe, id eſt, non
tantum eſt pacis cuſtos velut armentarius, nec tantum ventri, ſed
primum gloriæ Dei ſeruiat, quod ad externos mores attinet. - -
Ac pertinet etiam emendatio eccleſiarum præcipue ad magiſtratus
officium, præſertim ceſſantibus epiſcopis, aut aduerſantibus euan-
30 *gelio.* Non ergo rigida quorundam cenſura dignus eſt Con-
ſtantinus Imp. quod, referente Euſebio *l. 4. de vita Conſtan-*
tini c. 24. ad epiſcopos dixerit: *Vos quidem eorum, quæ intus*
ſunt in eccleſia agenda, ego vero eorum, quæ extra ſunt, epiſcopus
a Deo ſum conſtitutus: quod dictum in ſenſu antea expoſito
ſatis bene ſe habet, quamuis in alium ſenſum inique traha-
tur a Petro de Maria *tr. de Concord. Sacerd. & Imp. l. 2. c. 10. n. 7.*
31 Errant itaque iſti ex miniſtris eccleſiæ, qui hanc circa ſacra
poteſtatem, ſi recte exerceatur, denegant principi. Quor-
ſum pertinent verba Iuelli, *in Apolog. Eccleſ. Anglican.* vbi in-
ter alia ita diſſerit: *Sed cur reges Chriſtianos & pios principes*
ex-

Digitized by Google

excludunt a conſenſu ſuo? Aut ſi autoritatem ſuam interponant, & faciant id, quod poſſunt, quod iubentur, quod debent, quodque & Dauidem & Salomonem, & alios bonos principes feciſſe ſcimus, vt ſacerdotum libidinem coerceant, eosque & ad officium faciendum adigant & in officio contineant: vt idola euertant: vt ſuperſtitiones minuant: vt Dei cultum inſtaurent: Cur ſtatim clamant, illos omnia turbare, in alienum officium irrumpere, & improbe atque immodeſte facere? Quæ ſcriptura principem Chriſtianum ab huiusmodi cauſarum cognitione vnquam repulit? &c. Quem locum cum aliis huc facientibus exhibet Autor tractatus *de Officio magiſtratus Chriſtiani*, quem Grotius ſuo tractatui *de Imp. ſumm. Pot. circa Sacra*, in calce adiecit.

Cum ergo hactenus probatum ſit, competere ius circa 32
ſacra principi, illudque tantum in dirigendis actibus externis, ad eccleſiæ ac reip. ſalutem, conſiſtere, facile exinde ſine magno negotio colligi poteſt, competere quoque principi ius circa Sabbathum, omnia ita ordinandi, vt fiant εὐσχημόνως, ϗ κατὰ τάξιν. Sed quibus regulis hic circumſcripta ſit poteſtas principis, mox dicemus. Primo omnium 33
ea decidenda quæſtio eſt, an principi ius competat, conſuetum morem, celebrandi Sabbathum die dominico, abrogandi, & alium diem cultui diuino publico deſtinandi? Nouimus communem Doctorum ſcholam hic negatiuam amplecti. Sed nos, ſi rem in genere conſideremus, non poſſumus non affirmatiuam ſententiam amplecti. Idque ex iis quæ Cap. 34
I. fuſius tradita ſunt, ſua ſponte conſequitur. Si enim lex Moſaica de Sabbatho eſt ſublata; ſi ſubſtitutio diei dominici non auctoritate diuina facta, atque adeo nulla lege diuina iubemur præciſe diem ſolis cultui diuino conſecrare, ſed vſu & conſuetudine hic dies inter Chriſtianos, ſine neceſſitate legis, introductus, atque adeo autoritatis tantum humanæ eſt; Si hic dies in ſe non ſanctior eſt ceteris diebus: Vtique nihil obſtat, quo minus loco eius alius dies ad eun-

Digitized by Google

dem vſum ſacrum deſtinari poſſit, idq; a principe, cum illi vi iuris circa ſacra, ordinatio & directio externi cultus diuini competat. Cũ ſane perinde ſit, quo die ſacra peragantur, mo-
35 do id non plane negligatur. Totum vero negotium tollere omnemq; cultum publicũ prohibere, non eſt in arbitrio principis. Licet enim neceſſitas abſoluta cultum externum publicum in nouo teſtamẽto nõ exigat; vrget tamẽ neceſſitas hypothetica, propter tot rudes & infirmos homines, qui cœtui Chriſtianorum admixti ſunt, vt certum tempus deſtinetur, quo, poſthabitis curis mundanis, homines conuenire, & de vita recte agenda inſtrui poſſint, ceu ſupra cap. I. pluribus
36 demonſtratum eſt. Sed nec pauciores dies, quam vnus ſingulis ſeptimanis, ad ſacra peragenda deſtinari poſſunt a principe, ſi recte vti iure ſuo velit, ne cultus publicus rarior ſit, quam ſalus eccleſiæ requirit, & homines, nimium domeſticis curis occupati fundamenta fidei, & regulas vitæ Chriſtianæ dediſcant. Cum omnino exigat officium prinbipis boni, ipſaque ratio ſalutis publicæ, vt ciues rudem animum magis magisque exuant, & vitam vere beatam & tranquillam in honeſtate ac pietate degant. *1. Tim. II. 2.* Quorſum cum ducantur publica Euangelii doctrina, vtique hæc occaſio non aufferenda ciuibus, ſed potius promouenda eſt.

37 Sed iſta quidem, quæ de licita diei mutatione modo dicta ſunt in theſi, ſatis firmo nituntur fundamento. Quodſi autem in hypotheſi res definienda, non dubito aſſerere, principem non recte officio ſuo fungi, ſi loco diei dominici
38 alium diem ſubſtitueret. Idque primum, quia nulla id ſuaderet neceſſitas, imo nec vtilitas vlla: qua deficiente nihil mutandum eſt, quod ſemel in eccleſia diuturnis moribus
39 bene introductum. Quo ipſo tamen non fauemus illis, qui ſub eodem prætextu, quod nihil innouandum ſit in eccleſia, omnes ritus moresque, etiam vituperabiles, defendunt, hi omnino tollendi, etiamſi per integra ſecula illud in eccleſia

fuiſſet

fuiſſet obſeruatum: quorſum verba B. Brunnemanni *in Iur.*
Eccl. l. 1. c. 3. §. 8. pertinent: *Licet hodie etiam conſuetudines ir-*
rationabiles & inepta tolerentur, & defendantur mordicus, qua-
rum defenſores viderint, an coram tribunali Chriſti, conſuetudi-
nes ſuas ineptas, & impietatem nutrientes, defendere aliquando
poſſint. Nos enim hic de conſuetudine tali agimus, quæ bo-
na, quæ laudabilis eſt. Accedit ſecundo, quod, poſtea- 40
quam idem dies inter omnes Chriſtianos obſeruetur, muta-
tio hæc non poſſet non ingentes turbas, lites, & diſſidia gi-
gnere in eccleſia, quod cauendum eſt, ne fiat, cum iam
ſatis in partes diſtractus ſit cœtus Chriſtianorum, contra
autem eiusmodi mutatione nihil melius efficiatur. Vt ita 41
recte omnino ſenſerit Lutherus *in Catechiſm. maior. ad 3.*
Præcept. p. m. 404. qui poſtquam dixerat, *nullus dies altero eſt*
melior & præſtantior, paucis interiectis pergit: *porro autem,*
cum a maioribus noſtris ad hoc dies dominicus ordinatus ſit: non
eſt immutanda temere hæc innoxia veterū conſuetudo iam recepta,
vt vnanimis conſentiens ordo conſiſtat, ne quis ſua non neceſſaria
innouatione conturbet omnia. In quibus verbis vtut tacite, ob 42
adiectam vocem *temere*, largiatur, mutari hoc poſſe, non
tamen id faciendum eſſe dicit, quia hæc conſuetudo eſt *inno-*
xia. Ex quo verbo ſimul patet, Lutheri mentem fuiſſe, ce-
teras conſuetudines, quæ non ſunt innoxiæ, ſed potius in-
eptæ, etiamſi communiter receptæ, omnino tollendas eſſe.

Nunc ergo de officio principis, poſtquam de iure & 43
poteſtate eius dictum eſt, circa cultum diei dominici quæ-
dam adiiciamus. Hoc vero, vt per compendium dicatur,
conſiſtit in eo, vt princeps id vnice agat, quo ſcopus diei
dominici omni ratione obtineatur. Vbi & *poſitiue* procede-
re debet, & *remotiue*, h. e. & ordinare quæ bona ſunt, &
mala | omniaque impedimenta remouere. Quod quo- 44
modo faciendum ſit, vt diſtinctius explicari poſſit, repe-
tendum hic ex primo capite, quem ſcopum ſibi propoſuerit

Digitized by Google

eccleſia,certum diem conuentibus omnium & cultui pu-
blico deſtinando. Scilicet,vt homines a conſuetis laboribus
& curis domeſticis auocentur ad meditationem rerum di-
uinarum,ac ita corpus & animam reficiant: vt rudes,im-
periti & infirmi publice inſtruantur in myſteris doctrinæ
Chriſtianæ, & ad pietatem ducantur: vt ad laudandum
Deum, ipſique ex toto corde ſeruiendum, excitentur, &
exemplo aliorum, & doctrina: vtque adeo nouas vires ex
doctrina cœleſti, pia meditatione, ſeria oratione, & ſacra-
mentorum vſu hauriant contra ſatanam, & ſponſam eius,
mundum, eiusque illecebras, & magis magisque in fide
45 confirmentur. Hunc itaque ſcopum princeps non euer-
tere, ſed adiuuare, & pro viribus ſuis promouere debet,
omniaque obſtacula quæ hic ſe offerunt & a ſcopo abdu-
46 cunt,remouere. Videamus ergo primum, quomodo prin-
ceps procedere debeat poſitiue, ſcopum Sabbathi promo-
uendo: vbi ante omnia principi neceſſaria eſt, lectio ſacra-
rum litterarum &, ſerium diuinæ ſapientiæ ſtudium. Cum
enim principis norma in Eccleſiaſticis ſit voluntas Dei, illa
vero in ſacris litteris ſit manifeſtata; facile inde conſequi-
tur,ſedulo his incumbendum, vt veram hauriat ſapienti-
am, bene & ſecundum cor Dei gubernandi rempublicam.
At cum ſine ſpiritus ſancti lumine intelligi ſcriptura non
poſſit, ſeriis precibus opus eſt, quibus hoc lumen a Deo im-
47 petrare poteſt. Hunc clauem ſi impetrauerit princeps,cau-
te attendendum, quam ſit diuerſa indoles eccleſiæ veteris
teſtamenti, præ eccleſia noui teſtamenti,dum illius cultus
multis externis ritibus & ceremoniis fuit inuolutus, huius
vero magis in ſpiritu & veritate conſiſtit,ibi lege & coactio-
ne opus fuit, hic libertas ſpiritus exigitur &c. Vnde & in-
telliget,aliam eſſe Sabbathi noui teſtamenti rationem; quã
Sabbathi in veteri teſtamento præcepti: qua de re diximus
in Cap. I. & dicemus in Cap. IV.

Quibus fundamentis ſuppoſitis,(1)ſuo exemplo ſubdi- 48
ditis prælucere debet, quod ſæpe plus efficit, quam leges
optimæ. Facilius enim ſequentur ſubditi, quando vide-
bunt principem præeuntem, diemque dominicum medi-
tationibus & colloquiis ſacris, veræque animæ quieti tribu-
entem. Pertinet huc egregius locus B. Seckendorfii in
Chriſten-Staat *l.2.c.8.§.3.* weiter: das Kirchengehen/ſo
durch ſtattliche Ordnungen der Landes-Herrſchafften mit
fleiß getrieben und erfodert wird/ düncket dem gemeinen
Mann/ der ſein Brodt mit Arbeit erwerben muß/ offt
ſchwer und verſäumlich/ aber noch mehr wird er davon
abgehalten/ wenn er ſiehet/ daß es die Obrigkeiten auch
nicht achten. Vor Entheiligung des Sabbaths geſchiehet
ſcharffe Ermahnung in den Landes-Ordnungen/und offt
wird nirgens mehr als zu ſolcher Zeit bey den Höffen und
andern vornehmen Haußhaltungen excediret. Solte
aber/vti in proxime antecedentibus dicitur, ein Unterthan
nicht dencken/daß an dem allen wenig gelegen ſeyn müſſe/
zum wenigſten/daß es nicht der Obrigkeit Ernſt ſey/ ſon-
dern etwan von alten grämlichen Räthen/ und Schrei-
bers-Leuten/ oder Schwartz-Mänteln/wie man ſie nen-
net/herkähme/ſolche Dinge zu verbieten/die nirgends ſtär-
cker als in den Hoff oder Hauſe dObrigkeit getriebē werdē?
Sed & (2) cum dies dominicus, ſeu Sabbathum noui teſta- 49
menti, deſtinari debeat cultui diuino, piisque meditatio-
nibus, ac precibus & exhortationibus, ad vitam vere Chri-
ſtianam tranſigendam, eiusmodi exercitia libera ſtatuere
debet. Vbi tamen non ſufficiet liberum permittere cultum 50
publicum, ſed vt priuatim quoque pietati promouendæ
cauſa conueniant homines, precibusque & hymnis ſe exci-
tent, permittendum non modo, ſed omnes etiam admo-
nendi ſunt. Sæpe enim conuentus priuati plus commodi 51
habent, quam publici, cum ibi quilibet dubia ſua commu-

nicare, declarationem & informationem vberiorem petere poſſit, cum contra in conuentibus publicis vnus loquatur, reliqui omnes taceant, nec quisquam iſti clamanti obloqui poſſit, ſi non reatum criminis turbationis ſacrorum
52 incurrere velit. Iſti conuentus priuati, qui hodie collegia pietatis vocantur, frequentiſſimi erant tempore Apoſtolorum, & eo reſpexit Apoſtolus *Hebr. X. 25.* vbi non de admonitione vnius, ſed de mutua agit, quæ locum inuenire non poteſt in conuentibus publicis: vt adeo hic locus de congregationibus publicis, quæ in templis fiunt, male explicetur a nonnullis, cum eo tempore, certum ſit, Chriſtianos nondum habuiſſe templa & loca publica, in quibus omnes conuenire potuiſſent. Huc etiam pertinet locus *1. Cor. XIV. 29.* Conf. pluribus hanc in rem Dn. Arnold **in der Abbildung der erſten Chriſten** *l. 2. c. 3. ſeqq.* Vt adeo, qui hodie eiusmodi conuentus priuatos prohibent, & calumniis afficiunt, ſiue theologi ſint, ſiue politici, mihi videantur nexum amoris inter Chriſtianos tollere, cultum Dei non promouere ſed impedire, atque ipſo quaſi Anti-Chriſti officio defungi. Facillimum enim probatu eſſet ex hiſtoria eccleſiaſtica, nullam rem maiori conatu ſuſcepiſſe hoſtes Chriſti, quam vt conuentus Chriſtianorum turbarent, cum ita ſinguli debiliores fiant in fide Chriſtiana, atque adeo
53 facilius a vera via auocari poſſint. Sed cum de hac re extent paſſim querelæ cordatiorum & theodidactorum theologorum, omnia, quæ dicenda eſſent, hic non repetimus, ſed acquieſcimus in eo, quod principi ideo incumbat iſtiusmodi conuentus promouere, quia ad ſcopum Sabbathi
54 obtinendum egregie faciunt. Vnicum tantum addimus, non eam mentem nobis reſidere, ac ſi tantum die dominico eſſent permittendi conuentus tales priuati, ſed & ceteris diebus, cum ſane ſingulis diebus excitatione opus habeant homines. Quam in rem iterum laudo reſcriptum poten-

tentiſſimi regis Boruſſiæ, cuius mentionem feci *in Diſſert. de iure liciti ſed non honeſti c. 1. n. 30.* vbi in genere conſtitutum: Die Bettſtunden mögen nach wie vor/auch in Privat-Häuſern/ gehalten werden. Cum autem dies dominicus ſpeciatim totus cultui diuino deſtinatus ſit, hoc ipſo præ reliquis promoueri debent eiusmodi conuentus, ſeu collegia pietatis.

Porro officium principis exigit, vt (3) officii ſui etiam 55
legibus humanis admoneat ſubditos, atque vt Deum rite colant, diemque dominicum totum negotiis ſacris tribuant ſerio præcipiat. Sicuti laudabiliter factum in Ordinat. Prouinc. Auguſti,glorioſæ memoriæ, ducis Brunſuic. de Anno 1647. *tit.* Von Eintheilung des Sabbaths. *§. 1.* Cuius quidem rei 56
vtilitatem in eo conſiſtere putat Grotius *de Imper. Summ. Pot. circ. Sacr. c. 3. §. 11.* vt ita noua ſuper addatur obligatio; ſed nobis quoad hanc rationem aliter videtur. Primo enim maior vtique eſt obligatio ex iure diuino fluens, quam quæ ex iure humano eſt; Deinde, qui non veretur Dei cauſa a malo deſiſtere, eum nec leges humanæ conſtringent. Vera 57
ergo ratio hæc eſt, quia non pauci ſibi perſuadent, hoc vel illud vitium non adeo magni momenti eſſe, dum legibus humanis non prohibetur & punitur, etiamſi ſatis conſtet, illud iure diuino eſſe vetitum. Exemplum eſt in ebrietate, 58
quod peccatum hodie parui æſtimatur, quia frequens eſt in quibusdam aulis, & legibus non ſatis arcetur. Hinc quando vrgetur a cordatioribus, vt prohibeatur ſeuero, & puniatur etiam a magiſtratibus inferioribus, excipiunt ſat frigide, non habemus legem principis, illo non prohibente hoc permittendum eſſe. Eatenus ergo proderit eiusmodi lex, qua 59
verus cultus ſubditis iniungitur, ut de nouo excitentur, ſequiores & certiores reddantur, omnino & ſerio velle principem, Deum rite coli, & ſubditos ad veram pietatem duci. Ad minimum huc etiam quadrabit vulgatum illud, ſuper-

60 ſuperflua non nocent. Nec minus (4) a principe, quæ ad
locum, tempus, & modum cultus diuini pertinent, rite
ordinanda atque eo dirigenda ſunt, vt ſcopus diei dominici
quam commodiſſime obtineri poſſit. Specialia hic non
adiicimus, quia de his agetur fuſius infra in capite vltimo.
61 Cum ergo hactenus dictum ſit, qua ratione princeps
promouendo cultum diuinum procedere debeat, antequam
oſtendamus quomodo remouenda impedimenta ab ipſo
ſint, neceſſum erit, vt quædam adferamus de ea quæſtio-
ne annon vi externa cultum publicum diei dominici pro-
62 mouere teneatur? Vbi ſpecialius videndum, annon prin-
ceps, ſi omnia rite ordinata ſunt, compellere ſubditos vi
externa & pœnis poſſit, vt modum præſcriptum exactiſſi-
me obſeruent; v. g. vt frequentent templa, concionibus
63 aliisque negotiis ſacris interſint? Res hæc non omni diffi-
cultate deſtituitur, quamuis enim plerique affirmatiuam te-
neant, ex communi ratione, quod princeps gladium non
fruſtra teneat, ac ita pœnis quoque coërcere ſontes tenea-
tar, cum boni, non tantum præmiorum exhortatione,
ſed & metu pœnarum effici poſſint; non tamen leuia ſunt
quæ ab aliis, qui negatiuam amplectuntur, obiici ſolent.
64 Scilicet (1) obſeruationem diei dominici & cultus publici
in nouo teſtamento non eſſe neceſſitatis legalis, ſed liberta-
tis Chriſtianæ, hanc vero tolli plane per iſtiusmodi remedia
violenta, hinc doctrina & admonitionibus, non pœnis hic
opus eſſe: adeoque (2) principi gladium & ius puniendi
conceſſum eſſe in iis rebus, quæ in ſacra ſcriptura non ex-
preſſe, ſiue quoad rem, ſiue quoad ſententiam, libertati
cuiusuis relicta: nec (3) bonos effici metu pœnarum, vti
quidem gentiles ICti, ex principiis ſuæ religionis, quæ ta-
men falſa ſunt, ſibi perſuaſerunt; bonos ciues quidem red-
di metu pœnarum, ſed non bonos Chriſtianos, cum horum
bonitas ex libero cordis in Deum affectu, non ex actibus ex-
ternis,

Digitized by Google

ternis, indicanda ſit. Et ſane, tanti ponderis ſunt hæ ratio- 65
nes, vt nos etiam in ſuas partes traherent, niſi, re accu-
ratius penſitata, cum addito temperamento, vtraque ſen-
tentia conciliari poſſet. Conſtat enim, ex iis quæ Cap. I. 66
tradita, diem dominicum in eccleſia receptum, infirmio-
rum & imperitorum cauſa, vt hi in fide Chriſtiana & re-
gulis pietatis publice inſtrui poſſint, ſalua tamen manente
adultiorum libertate. Pro duplici ergo hominum genere
dupliciter reſpondendum ad quæſtionem propoſitam. De
illis, quia quadantenus adhuc ſub lege ſunt, & pædagogia
opus habent, concedo priorem ſententiam, compelli eos
a Principe poſſe, vt interſint cultui publico; nec enim o-
mnes, qui in tempore noui teſtamenti viuunt, ſtatim ſunt
membra vera & genuina noui teſtamenti; vt plurimum
ſtatus legis, etiam in Chriſtianismo, præcedit ſtatum Eu-
angelii. De his vero, adultis ſcilicet & profectioribus, qui 67
tamen non ex dignitate & eruditione, ſed ex pietate æſti-
mandi, admitto ſententiam poſteriorem; cum enim hi
Deum non certo die, ſed omni tempore, in ſpiritu & veri-
tate colant, cum habeant ſpiritum ſanctum intus eos
docentem, quis ad externum cultum illos iure adſtringe-
ret? Libertate ſua, ipſis per Chriſtum adquiſita, priuari
ſane non debent, autoritate humana. Commendandum 68
tamen his, vt ſponte interſint cultui publico & negotiis ſa-
cris, infirmiorum cauſa, & ne illis ſcandalum creent, modo
tamen cultus externus ita ſit ordinatus, vt ſine conſcien-
tiæ læſione illi intereſſe queant. Multo minus illos cogere 69
Princeps poteſt, qui ob conſcientiæ ſcrupulos, hoc vel illud
negotium ſacrum publice peragere detrectant. V. g. ſi
quis credat ſe ſacramento Sacræ Cœnæ, quod etiam diebus
Sabbathi adminiſtratur, in tanta infidelium & hypocritarum
copia, ſine conſcientiæ læſione vti non poſſe; qualia exem-
pla hodie ignota non ſunt. Hic ſi Princeps coactione, vi & 70

pœnis procedat, quid aliud agit, quam vt in conſcientias Imperium ſibi tribuat? Licet enim erronea ſit conſcientia, notum tamen eſt, eum qui contra erroneam conſcientiam agit, peccare, vt adeo Princeps cogendo eiusmodi
71 hominem, ipſum ad peccandum inducat. Quid ergo hic faciendum? Reſpondeo, non armis carnalibus, ſed ſpiritualibus, ſolidiore doctrina & argumentis grauiſſimis opus eſt, neque ſtatim deſiſtendum, aut pro pertinace habendus alter, ſi vim argumentorum non ilico percipiat, ſed inſiſtendum, atque in manſuetudine & caritate expectandum, vsque dum Spiritus Dei ſcrupulos conſcientiæ illius exemerit. Qui modus procedendi, quam clare etiam in ſacris litteris præſcriptus, vix tamen vllibi obſeruatur, ſed ſtatim vi & pœnis, calumniis & perſecutionibus procedi-
72 tur a clero papizante. Ex quo ſimul decidi poteſt quæſtio, an Princeps iudæos in rep. degentes cogere poſſit, vt interſint concionibus publicis? Quod pariter tuto negamus, ex eodem fundamento. Quamuis enim nobis perſuaſiſſimum ſit certiſſimumque, falſam eſſe eorum religionem, nec aliam in cælum viam eſſe, niſi per Chriſtum, hactenus tamen, quamdiu illi huius veritatis nondum conuicti ſunt, abhorrent in conſcientia, licet erronea, a noſtris conuentibus, & ſic reluctante conſcientia ſua compelli nequeunt.
73 Interim tamen ad id compelli poterunt, vt ipſi conuentus inſtituant, permittantque, vt Chriſtiani cum ipſis de religione amice & placide conferant: vti exemplum mihi relatum eſt, iudæi ad Chriſtianam religionem, non tantum in intellectu, vt communiter fit, ſed etiam in voluntate conuerſi, qui nihil magis optat, quam vt in virtute ſpiritus, qui ipſum impellit, cum iudæis ſermones cædere poſſit de Chriſto, certiſſima ſpe fretus, verbum de Chriſto non futurum eſſe inefficax inter illos. Sed hactenus voti ſui com-
76 pos reddi non potuit. Qua occaſione non poſſumus non in-

incidenter conqueri de peruerſo modo diſputandi cum illis qui alii religioni addicti ſunt: Primo ad illud negotium deputantur tantum Theologi ſuperficiarie eruditi, & qui vt plurimum ſpiritu diuino, qui ſolus vim conuincendi tribuit, *(Ioan. XVI. 8.)* præditi non ſunt, cum tamen laicus ſpiritualis plus poſſit, quam ſummus theologus litteralis, argumentis tantum humanis & Philoſophicis inſtructus. Quo pertinet celebre exemplum, quod contigit in concilio Niceno primo, vbi ſimplex quidam & indoctus ſenex infidelem Philoſophum, poſtquam eruditorum Theologorum variæ diſputationes nihil efficere potuerunt, pathetica confeſſione fidei, vicit, & ad fidem Chriſtianam amplectendam mouit. Rem ita Ruffinus *Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 3.* d. ſcribit: *Vt oſtenderet Deus quod non in ſermone regnum Dei, ſed in virtute conſiſtat, quidam ex confeſſoribus, ſimpliciſſimæ naturæ vir, & nihil aliud ſciens niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum - - qui cum vidiſſet Philoſophum noſtris inſultantem - - poſcit ab omnibus locum, velle ſe paucis cum philoſopho ſermocinari, - - tum vero noſtri pauere - - perſiſtit tamen ſenior, & hinc mouit ſermonis exordium: In nomine, inquit, Ieſu Chriſti, philoſophe, audi, quæ vera ſunt. Deus vnus eſt, qui fecit cælum & terram &c. credis hoc ita philoſophe? at ille, velut ſi nunquam vllum contradicendi ſermonem didiciſſet, ita obſtupefactus virtute dictorum, mutus ad omnia, hoc ſolum potuit reſpondere, ita ſibi videri, nec aliud verum eſſe, quam quod dixerat. - - Audite, inquit Philoſophus, o eruditi viri! donec verbis mecum res geſta eſt, verba verbis oppoſui, &, quæ dicebantur, dicendi arte ſubuerti: vbi vero pro verbis virtus proceſſit ex ore dicentis, non potuerunt reſiſtere verba virtuti.* Deinde inuerſo ordine proceditur, tractando tantum doctrinalia non moralia, cum tamen ſi voluntas prius non fuerit emendata, intellectus nunquam veri luminis capax ſit. 75 Hinc &, ſi externum 76 aſſenſum doctrinæ præbeat aduerſarius, ſubſiſtunt Diſputa-

tores, quaſi fides Chriſtiana in intellectu conſiſteret, vnde
& facile eiusmodi peruerſe conuerſi iterum deſertores fi-
77 unt, & in priora caſtra tranſeunt. Sed & modus diſputan-
di mere Scholaſticus eſt, diuerſiſſimus ab eo quo Apoſtoli
vſi ſunt, ſcilicet, quia rationibus vtuntur, non diuinis ſed hu-
manis, non amore diſputant, ſed odio, vnde ſtatim rixæ
carnales & contentiones oriuntur, ex irato pectore ortæ.
78 Et tandem, ſi non ſtatim victas manus tradat aduerſarius,
pro pertinaci declaratur, contumelia & calumniis afficitur,
& quaſi diabolo traditur: vt plura hac de re non addamus,
cum ad inſtitutum noſtrum non pertineant.

79 Sed & eo ipſo promouere cultum diuinum Princeps
poteſt, ſi id (5) agat, vt officiis ſacris tantum præficiantur
80 digni, virique Theodidacti, pii & cordati. Cum alias vi-
deatur contradictio eſſe, viam ad cælum monſtrare aliis
debere, qui nunquam eam ipſe ingreſſus: Homini carna-
li & naturali committere interpretationem ſpiritualium,
quæ ne intelligit quidem: Et officium ſpiritus ſancti illi
demandare, qui malum ſpiritum in corde dominantem ha-
bet. vid. pluribus *Diſſert. de iure Lic. ſed non hon. c.3.n.96.ſeqq.*
81 Hoc ergo ſi obſeruauerit Princeps, tum demum promo-
uebit ſcopum diei dominici. Sic enim recte inſtrui poteſt
populus in rebus credendis & agendis: ſic & doctrina &
exemplo miniſtrorum eccleſiæ excitantur omnes. Con-
tra vero, ſi impii ſint & vitiis dediti doctores eccleſiæ, nun-
quam verbum Dei pure prædicabunt, tanquam inimici
crucis Chriſti, & ſic populum, non ad verum cultum Dei
ducent, qui in ſpiritu & veritate conſiſtit, ſed ad falſum cul-
tum, qui in actibus externis & vſu ſacramentorum ſta-
tuitur.

82 Sed hactenus ſatis dictum eſt, qua ratione Princeps
cultum diuinum promouere debeat, non quidem directo,
nam cultus ille qui Deo placet, remediis humanis promo-
ueri

Digitized by Google

ueri per ſe non poteſt, ſed tamen indirecto, ſubminiſtrando media, & omnia in iuſtum ordinem redigendo: ſequitur ergo vt adiiciamus, quomodo Princeps vlterius circa diem Sabbathi, eiusque ſcopum obtinendum procedere poſſit? Hoc vero, vt vno verbo dicam, contingit remouendo impedimenta, quæ reſiſtunt, quo minus obtineri debitus ſcopus poſſit. Cuius rei neceſſitatem, haud opus erit, vt 83
nunc variis argumentis oſtendam, cum prudentiores facile id agnituri ſint. Nam quotidiana experientia docet, vix quidquam boni effici poſſe, doctrina etiam optima, in rudibus hominum animis, ſi vndique illos circumſtent ſcandala, h. e. ſi nimia ſit in rep. occaſio delinquendi, atque liberum ſubditis relinquatur mala omnia impune agendi. Cum enim homines natura procliuiores ſint ad malum, quam ad bonum, vno quaſi impetu, etiamſi optimis doctrinis imbuti ſint, in vitia ruunt, fruſtra vt plurimum laborantibus miniſtris eccleſiæ. Cui non obſtat, quod tamen 84
propterea homines non meliores reddantur, etiamſi omnis peccandi materia ipſis ſubtraheretur, ſi non cor ipſum emendetur; nam hic facilis eſt reſponſio, concedendo, ita quidem non directo meliores reddi, id tamen obtineri poſſe, vt non facile peiores fiant. Multi enim his vel illis peccatis ſe nunquam contaminaſſent, niſi eiusmodi ſcandalis fuiſſent allecti. Obiecta mouent ſenſus. Profectiores in Chriſtianiſmo hæc etiam impedimenta facile vincent, ſed hic de infirmioribus & initiatis quæſtio eſt, de quibus conſtat, quod facile iſtiusmodi illecebris iterum retrahantur. Itaque per compendium dico, Principi incumbere, vt o- 85
mnia illa prohibeat die Sabbathi & e medio tollat, quæ ſubditos a conuentibus publicis retrahunt, quæ verbi prædicati vim & efficaciam tollunt, quæ illos a piis meditationibus abſtrahunt, aut alias quoquo modo poſſunt impedimento eſſe. De quibus nunc in ſpecie ſigillatim agen-

Digitized by Google

dum eſt. Id quod agnouit potentiſſimus Rex Boruſſiæ, in Edicto von Feierung des Sontags de dato 15. Oct. 1698. ad Ducatum Magdeburgicum directo, his verbis: So iſt unſer eigentlicher Wille/ und ernſter Befehl/ daß alles dasjenige/ wodurch der Dienſt Gottes/ welcher/ fürnemlich auff dieſen Tag/ ſo wol öffentlich in denen Kirchen/ durch Anhörung Göttlichen Worts/ ſingen und beten/ als auch in denen Häuſern/ durch allerhand Chriſtliche Ubungen (Collegia pietatis) muß gepfleget werden/ gehindert und zurück geſetzt wird/ abgeſchaffet &c.

86 Sed vt ordine procedamus, prius de negotiis per ſe illicitis agemus. Vbi ita regulam formamus: Quodcunque vel iure diuino expreſſe prohibitum, vel tamen rationi iuris diuini contrarium & Chriſtiano nomini dedecori eſt,
87 id die dominico permittendum non eſt. Quod dum aſſeritur, non ea nobis ſententia reſidet, hæc tantum die dominico eſſe prohibenda, ceteris diebus autem permittenda, vti quidem nonnulli ſatis craſſe philoſophantur; ſed hæc mens noſtra eſt, quia hæc eiusmodi ſunt, vt inter Chriſtianos ne nominari quidem debeant, *Ephеſ. V. 3. 4.* non permittenda ea eſſe a Principe, maxime die dominico, vbi cœtus Chriſtianorum cultum diuinum ſpeciatim profitetur, atque adeo nihil admittendum cultui diuino contrarium, & ad cultum propriæ voluntatis carnalis atque Sata-
88 næ pertinens. Boni ergo Principes hic non ſubſiſtunt, ſed omnia illa, quæ non decent ſanctos, vt Apoſtolus loquitur *d. l.* & contra decorum Chriſtianorum ſunt, de quibus actum *in Diſſ. de iure liciti c. 1. n. 51. ſeqq.* etiam in reliquis ſeptimanæ diebus non permittunt, ſed ſeuere prohibent.

89 Inter exempla ſpecialia producimus primo loco compotationes illas & ſaltationes in popinis & diuerſoriis, cuiuscunque generis ſint, quo & die Pfingſt-Biere referimus, quales ſocietates frequentiſſimæ inter ruſticos ſunt diebus dominicis:

minicis: videmus enim plebem omnes cupiditates ſuas vſ-
que ad diem dominicum differre, dum eo die, aliis negotiis
externis non occupati, quam commodiſſime prauis affecti-
bus ſuis indulgere poſſunt. Nec deſunt patroni malitiæ, 90
& ſtultitiæ aduocati, qui hunc morem pertinaciſſime de-
fendunt, ſub prætextu, quod miſeris hominibus, duris labo-
ribus per ſeptimanam integram fatigatis, hoc recreationis
genus adimendum non ſit, cum alias nunquam promto a-
nimo labores quotidianos ſint expedituri. Quibus ſuffra- 91
gantur Paſtores nonnulli peſſimo ſuo exemplo, dum hæc
non modo intuentur & ſine reprehenſione dimittunt, ſed &
ipſi haud raro eiusmodi cœtibus aſſident. Sed vt de his pri- 92
us dicatur, optandum eſſet, vt in vſum reuocaretur Canon
Apoſtolicus 42. & 43. vbi ita conſtitutum: *Epiſcopus vel preſ-
byter, vel diaconus, aleis vel ebrietatibus vacans, vel deſiſtat, vel
deponatur*: Et Canon 54. cuius hæc verba ſunt: *Si quis Cleri-
cus in caupona comedens deprehenſus fuerit, ſegregetur, præter-
quam ſi in publicum diuerſorium in via propter neceſſitatem di-
uerterit*. Quo etiam pertinet Conſtit. Eccleſ. Elect. Sax. quam
allegat Gerhardus *loc. de Miniſt. Eccl.* §. 280. vbi hæc verba le-
guntur: die Pfarrer ſollen ſich der Tabernen und Schenck-
häuſer enthalten / auch ſelbſt in der Pfarr Behauſung
nicht viel Qvas / noch offtmahls Gaſterey halten. Add.
Reformatio Politica de Anno 1548. §. vom Zutrincken vbi:
Wir wollen auch / daß die Obrigkeiten ihren Pfarrern
und Predigern befehlen ſollen / alle Sontage dem Volck
zuverkündigen / daß ſie ſich des zutrinckens enthalten /
mit Erzehlung der Laſter ſo aus der Trunckenheit folgen /
wie ihnen deshalb von der Obrigkeit ein Verzeichniß zu-
geſtellet werden ſoll. Quod poſtea repetitum in Reform. Po-
lit. de A. 1577. tit. 8. in fine Illi vero tam abſurdi ſunt in ratio- 93
cinando, vt quilibet ſanæ mentis facile imbecillitatem argu-
menti intelligere poſſit. Demus enim, recreatione opus
eſſe

eſſe hominibus, ita tamen reficiendum & recreandum corpus eſt, vt non debilitetur, aut plane occidatur anima: Quid autem magis ſcripturæ ſacræ eſt contrarium, quam ebrietati indulgere, carnisque illecebris? Sane ſi quis non omnis ſenſus diuini numinis expers ſit, agnoſcere tenebitur, hæc eiusmodi eſſe, quæ nulla ratione decent eos, qui Chriſti nomen præ ſe ferunt, & ſe Chriſtianos, ſeu vnctos Spiritu ſancto, profitentur. Quam in rem optime ſcribit Dn. Arnold. Abbildung *l. 2. c. 4. §. 12.* das ſolte zum wenigſten allen von Rechts wegen bekand ſeyn geweſen/ daß/ gleichwie zu allen Zeiten/ alſo auch am Sontage alle Uppigkeit und Sünden verbothen währen / als die überflüßige Gaſtereyen/ das Freſſen und Sauffen in den Wirths-Häuſern/ das Springen und Tanzen/ Schreyen und Schwermen/ und dergleichen Wercke des Satans/ da man gantze Städte und Dörffer zu Garküchen macht/ wie es einer von den Feſt-Tagen der Heyden ſchreibet. &c. Vbi & varia teſtimonia Patrum, qui de his prauis moribus Chriſtia-
94 norum conqueruntur, ſubiicit. Itaque omnino recte faciunt Principes qui hæc prohibent ſeuere, vti laudabiliter fecit potentiſſimus Rex Boruſſiæ ſupra citato Edicto de Anno 1698. verbis: Und ob zwar auf den Sontag die Beſuchung guter Freunde/ ein mäßiger Spatziergang/ und ſonſt ehrliche recreation eben nicht unterſaget ſind: So kan jedoch das zu allerhand Uppigkeit/ und fleiſchlichen Lüſten anlaß gebende tantzen/ ſonderlich in denen Krügen/ Wein/ Bier/ und Zunfft-häuſern keines weges verſtattet werden/ ſondern es wird ſelbiges auff den Sontag auch nach 5. Uhren hierdurch allerdings abgeſtellet und verbothen. Et in antecedentibus dicitur, quod miniſtri eccleſiæ admonere debeant populum, die ihnen gegönnete Ruhe/ an denen Tagen des HErren/ nicht zum Müßiggang/ vielweniger zur Unmäßigkeit und Uppigkeit/ als wodurch ſie ſonſt der Frucht des angehörten Göttlichen

Worts

Digitized by Google

Worts gänzlich beraubet/und ſchwehrer Straffe GOttes ſchuldig werden/ ſondern zu dem gehörigen Zweck anzuwenden ꝛc. Conf. Edictum Friderici Wilhelmi Magni Electoris Brandenburgici *de Anno 1676.*, quod integrum refert Illuſtris Dn. Stryk in not. ad Brunn. *Ius Eccl. l. 2. c. 1. m. 1. §. 8. verbis: brachium ſeculare impertiatur.* Add. Ordin. Prouinc. Auguſti glor. mem. Ducis Brunſuicenſis *de Anno 1647.* tit. von Entheiligung des Sabbaths §. *6.*

Quod de compotationibus plebeiorum hominum dictum eſt, quod concedendæ non ſint die dominico, illud eadem ratione verum eſt, de conuiuiis ſolennibus & ſumtuoſis diuitum, quæ pariter prohibenda ſunt die Sabbathi. 95
Notum enim eſt, quomodo conuiuia celebrentur hodie inter Chriſtianos pleroſque, quantus ibi ſit luxus in multitudine ciborum delicatiſſimorum, & varietate potus, quantæ compotationes. Pertinet quoque huc quod Apoſtolus *1. Cor. X. 7.* dicit: *Sedit populus ad comedendum & bibendum, & ſurrexerunt ad ludendum.* 96
Qualia conuiuia cum omnino iniuſta ſint omni tempore, vti vnusquisque intelliget, qui vera Chriſtianismi principia primis tantum labiis deguſtauit; quanto magis turpia ſunt eo die, qui ſpecialiter cultui diuino deſtinatus eſt. 97
Quod ſi conuenirent homines, vt cibum & potum neceſſitatis cauſa ſumerent, & interea temporis de rebus diuinis ſermones cæderent, ſe inuicem ad vitam vere Chriſtianam agendam excitarent, tum vtique non poſſent reprobari eiusmodi conuentus; ſed cum hæc plane negligantur, nihilque aliud intendatur ſumtuoſis illis conuiuiis, quam vt corpus cibis potuque impleatur, & carnales affectus excitentur, atque adeo omnis vis verbi ſuffocetur, omnino iſtiusmodi ſcandala prohibenda ſunt a bono Principe. 98
Hic dies quieti deſtinatus eſt, ſed ita quies non obtinetur. Recte Chryſoſtomus *Homil. 42. in Act. Apoſt. Quemadmodum,* inquit, *corpus quod laboribus ſatigatum & exhauſtum, non diligi vult, neque* 99

ventri indulgere, ſed requieſcere & ſilenter iacere: ita & anima plurimis onerata, in quiete & ſilentio eſſe feſtinat: quæ in refocillatione eſt, & deliciis, reſpicit, turbata eſt, ſuperba eſt. Vt ita iſtiusmodi conuiuia, vbi affectibus carnis & deliciis indulgetur, tollant quietem animæ, & ſic ſcopo inſtituti diei dominici manifeſto ſint contraria.

100 Pergimus ad celebrationem nuptiarum, viſuri, an & hæ recte prohibeantur diebus dominicis, id enim factum eſt in edicto potentiſſimi Regis Boruſſiæ ſupra *n. 94.* citato, vbi expreſſe prohibitum, **daß keine Hochzeiten an dem Tage ſollen angeſtellet werden.** Cujus ſententiæ etiam non pauci doctores ſunt, nuptias ſcilicet die dominico celebrandas non eſſe. Io. Conrad. Durr. *Theol. Moral. c. 2. P. 3. th. 66.* Dunte
101 *in Caſib. Conſc. c. 10 qu. 73.* Equidem videtur hæc ſententia dubiis maximis ſubiecta: Sanctiſſima enim res eſt matrimonium Chriſtianorum, & myſterium ingens vnionis Chriſti cum Eccleſia, *Eph. V. 32.* cur ergo id non celebrari debet eo die, qui ad ſanctificandum electus eſt? Deus minus colitur cultu externo, quam ſi matrimonium rite & iuſte ac ſecundum ordinem ſcripturæ contrahitur: ibi enim vniuntur corpora non tantum ſed & ſpiritus; de nouo ſe obligant in fœdere matrimonii noui coniuges, Deo coniunctim ex toto corde ſeruiendi, ſe inuicem ad virtutes Chriſtianas excitandi atque impellendi, omnia patienter ferendi, & in myſterio crucis (matrimonium enim non incongrue *Schola crucis* dici poteſt) per Dei gratiam magis magisque alterius aſſiſtentia & admonitionibus cooperantibus, proficiendi; quo ipſo quis neget Deum coli? cum veri Chriſtiani per matrimonium ſe inuicem vniendo, ſimul in fide ſe vniant cum Chriſto, tanquam in quo vnico benedicere vult Deus matrimonio, idq; diuina gratia ſua tegere. Accedit quod haud dubie maiores ea intentione copulationes inſtituerint in conſpectu totius eccleſiæ & publicis locis, vt totus Chriſtiano-

rum

rum cœtus coniunctim pro nouis coniugibus preces ad Deum fundat, illisque diuinam gratiam exoret, quod ſane commodius fieri non poteſt, quam diebus dominicis, quo omnes Chriſtiani conueniunt. Interim tamen adhuc puto 102
recte prohiberi nuptias die dominico. Quod ſi enim ita contraherentur, vti debebant, & vti per rationes modo adductas decet Chriſtianos, ſi ita inſtituerentur, vt Chriſtus ipſe præſens eſſe poſſet, & pietate & ſanctitate inaugurarentur, vt loquitur Petrus Chryſologus *Serm. 157.* tum & die dominico celebrari poſſent commodiſſime, & vt eo tempore id fieret, ſuadendum potius quam diſſuadendum eſſet. Verum cum 103
hodie a plerisque, qui Chriſtiani vocari volunt, longe ſecus contrahantur, cum plurimum temporis in comandis nouis nuptis, inſtruendo conuiuio, excipiendis hoſpitibus, agitandis mutuo ludicris ſermonibus impendatur, vti verba habent Io. Conradi Durr. *cit. th. 66.* cum non Chriſtiano, ſed Ethnico more procedatur, totum tempus comedendo & compotando, ſcurrilibus item verbis & impiis ſaltationibus conſumatur, ac ita totum myſterium matrimonii dehoneſtetur, ſcandalumque publice omnibus præbeatur, quis dubitet, optime facere Principes, ſi tale quid die dominico fieri prohibeant. Quin quod & aliis diebus hæc peſſima & Chriſtiano nomine indigna conſuetudo tolli, & grauiſſimis legibus pœnalibus abrogari debebat; ne deteſtandis illis exemplis alii ad premenda eadem veſtigia alliciantur: id quod fit quotidie, dum homines prouocant ad exempla aliorum, qui tamen non minus pro Chriſtianis habentur, etiam a miniſtris Eccleſiæ, qui non raro iſtis impiis conuentibus, quorum Satanas autor eſt, aſſident, & ſua præſentia omnia comprobant, benedictionemque diuinam nouis iſtis coniugibus pollicentur, quibus maledictionem potius, niſi pœnitentiam egerint, annunciare debebant. Conqueſtus iam ſuo tempore de his deprauatis 104

moribus eſt Chryſoſtomus *d. Homil. 42. in Act. Apoſt.* cuius verba huc referre liceat: *Domus autem nuptiarum, referta fœditate. Vide enim turpia illic verba, riſum incompoſitum, ſeſſiones magis incompoſitas, veſtem & greſſum plenum turpitudine, & geſtus ſtultitiam & inſipientiam præ ſe ferentes, omnia illic riſum & ridicula: non ipſas nuptias dico, abſit, ſed ea quæ in nuptiis fiunt. Inſanit nunc natura, præſentes pro hominibus bruta fiunt, & alii quidem vt equi hinniunt, alii vero vt aſini calcitrant, magna diſſolutio, nihil maturum, nihil generoſum. Magna ibi diaboli pompa, cymbala, tibiæ, & cantica, plena ſcortationum & adulteriorum.*

105 Ad eandem claſſem referenda ſunt comœdiæ & ſpectacula, quæ pariter die dominico non permittenda, cum ſint omnium malorum irritamenta, & facile quicquid boni hauſtum eſt ex prædicatione verbi, ex mente eruere poſſint, natura humana ad id cooperante, vtpote quæ Chriſti iugum ſubire omni modo detrectat, & in peſſima ſemper
106 vitia magno impetu ruit. Equidem Carpzouius *Iuriſpr. Eccleſ. l. 2. def. 253.* temperamentum aliquod adinueniſſe videtur, exiſtimando, comœdias permitti poſſe die Dominico poſt peracta ſacra publica. Sed eius ſententiam recte reiecit B. Brunneman. *Iur. Eccleſ. l. 2. c. 1. m. 1. §. 10.* quia totus
107 dies ſanctificandus. Præſupponit Carpzouius vſum ſpectaculorum eſſe licitum, & celebrationem Sabbathi in ſolo cultu publico conſiſtere; Sed vtrumque præſuppoſitum falſum eſt, & poſterius, vt ſupra demonſtratum, & prius, de quo diximus *in Diſſert. de iure Liciti c. 2. n. 123. & c. 3. n. 72. ſeqq.* vbi & varia teſtimonia hanc in rem adiecta, quibus hic addimus vnicum Chryſoſtomi *d. homil. 42.* vbi hæc verba habet: *At in theatro omnia contraria, riſus, turpitudo, pompa diabolica, effuſio, inſumtio temporis, & expenſio dierum inutilis, concupiſcentiæ abſurdæ præparatio, adulterii meditatio, ſcortationis gymnaſium, intemperantiæ ſchola, adhortatio turpitudinis,*

tudinis, occaſio riſus, turpitudinis exempla. Hæc ſi cognoſcerent qui patrocinium comœdiarum ſuſcipiunt, non ita cum proſtitutione crucis Chriſti & Chriſtiani nominis iſta mordicus defenderent. 108
Laudamus iterum iterumque potentisſimum Regem Borusſiæ, quod iteratis clementisſimis Reſcriptis ſeuere iuſſerit, vt iſta ſpectacula ſiue diebus dominicis, ſiue vllo alio tempore, in his ciuitatibus, Hallenſi, Neoforenſi, & Glauchenſi, in poſterum prohiberentur: daß hinfüro weder Comödianten noch Gauckeler mit Pickelheringen / als wodurch die ſtudirende Jugend nur zum Müßiggang und andern eitelen und ſündlichen Uppigkeiten angelocket und gereitzet wird / auff dortiger Vniuerſität geduldet werden ſollen. - - Als befehlen wir euch in Gnaden / keine Comödianten / Pickelheringe / ſo wenig in Halle / noch auff dem Neuen Marckt und in Glaucha zu dulden / ſondern wenn ſich deren einige anmelden / ſelbige gäntzlich abzuweiſen. Verba ſunt Reſcripti ad Regimen Magdeb. de dato Weſel d. 30. Maii *1702.* 109

Hactenus de illicitis negotiis, quæ impedimento ſunt cultui diuino, actum eſt, vbi ſolenniora exempla adducta ſunt, ex quibus facile reliqua diiudicari poſſunt. Cum autem etiam licita negotia haud raro obſint, quo minus obtineri verus ſcopus posſit diei Sabbathi, iſta quoque prohibenda ſunt, vt omnia impedimenta remoueantur. 110
Illud tamen intereſt inter negotia per ſe illicita & licita, quod *illa* non tantum diebus dominicis, ſed & ceteris diebus ac omni tempore abeſſe, & prohiberi debeant, *hæc* vero ceteris quidem diebus in hebdomade permittenda, ſed tamen die dominico prohibenda. Non ex ea ratione, quod hic dies reliquis ſanctior ſit per ſe, hoc enim non eſſe, in primo capite oſtenſum eſt, ſed ideo, quod, niſi hæc negotia intermittantur iſto die, ſcopus inſtituti cultus publici, de quo ſu- 111

pra *n. 43.* dictum, obtineri vel plane non, vel difficulter poſſit.

112 In hunc cenſum primum refero exercitia artis ſagittariæ, palæſtræ, pilæ &c. quæ in quibusdam locis diebus dominicis inſtitui ſolent. Quæ ipſa vtut in ſe licita eſſe poſſint, ſi abuſus euitetur, attamen ſi die Sabbathi inſtituantur, non poſſunt non diſſipare mentem, & auocare a meditationibus ſacris, quibus in vera quiete animæ indul-
113 gendum vnice eſt die dominico. Nihil enim inſtituto huius diei conuenit, niſi quo excitatur anima ad diuinas contemplationes, atque ad vitam vere piam & Chriſtianam in ſanctitate & iuſtitia in poſterum peragendam: vt ita abeſſe debeant, quæ ad emendationem morum & tranquillitatem animæ nihil tribuunt: quale quid eiusmodi exerci-
114 tia vtique non faciunt. Vnde aſſenſum non meretur Carpzovius, qui *in Iurispr. Eccleſ. l. 2. def. 253.* talia inſtitui poſſe dicit, peractis ſacris publicis, quem & recte ideo refutauit B. Brunnemann. *de Iur. Eccleſ. l. 2. c. 1. m. 1. §. 10.* ex ratione, quod iſta exercitia avocent a meditationibus ſacris. Vbi ſubiicit: *Periculoſum eſt aliquid mundo dare, quod detractum ſit de die, Deo ſoli conſecrata.* Quo & pertinent quæ habet Perkinſ. *Caſ. Conſcient. l. 2. c. 17. caſ. 1. Si ordinaria vocationis officia laude & commendatione alioqui digna, idcirco prohibentur, quia requiem iniunctam euerſum eunt, animumque occupant, vt in rebus diuinis libere verſari, & ſe exercere non poſſit: quanto magis voluptatis & oblectationis opera vetantur, quæ multo plus id faciunt; licet alioqui in ſe illegitima non ſint.*

115 Eodem porro refero nundinas, ex eadem ratione, quod ita homines ſtatim a meditatione rerum diuinarum abſtrahantur, quam in rem iterum Carpzouium iure meritoque caſtigat B. Brunnemannus *d. l. §. 9.* dum ille exiſtimat, poſt peracta ſacra publica nundinas concedi poſſe; Vnde Brunnemannus illam vulgi perſuaſionem peſſimam dicit

in,

in ſolo cultu publico celebrationem Sabbathi conſiſtere. Quam ob cauſam Fridericus Wilhelmus Magnus Elector 116 Brandenburgicus in edicto, quod verbotenus recenſet Illuſtris. Dn. Stryk. *in not. ad ius Eccl. Brunn. d. l. §. 8. in fine* expreſſe conſtituit, vt nundinæ, die Jahrmärckte/ quæ alias diebus dominicis habebantur, in ſequentem diem lunæ differrentur. Quod dum executioni mandatum, apparet, non 117 eſſe impoſſibile, iſtam inueteratam conſuetudinem tollere, vti quidem pro coloranda ſua ſententia prætendit Carpzonius. *cit. l. def. 253. n. 4.*

Dicendum nunc eſt de operis, quas Princeps recte pro- 118 hibet die dominico, ceu illud in plerisque locis factum eſſe apparet, cum ſane animus hominis liber ab omni cura rerum terreſtrium eſſe debeat, ſi ad cæleſtia ſe eleuare, & meditationibus rerum diuinarum vacare debeat, multo minus permittere debet, vt ſubditi operis grauentur. Vti Io. Georg. II. Elector Saxon. in reuidirten *Synodal. decret. §. 16.* conſtituit; Unſere Beamten und Befehlhaber/ ſollen unſere Unterthanen ohne unſern ſonderbahren Befehl/ auff die Sonn- und Feyer-Tage/ mit Frohn-Dienſten/ Vorfoderungen in die Aemter ꝛc. verſchonen. Notum eſt, quomodo hic peccetur hodie a Cameralibus & Præfectis, quot onera exigantur die dominico, quo & pertinent die Amts-Fuhren. Obſeruandus tamen hic & notandus eſt ſtrictura in- 119 ſignis abuſus. Plerumque enim operæ prohibentur ex falſo fundamento, ſcilicet, quia in veteri teſtamento Deus iuſſerit quieſcere ab omni opere, & grauiſſimam pœnam ſtatuerit illis, qui operati fuerint die Sabbathi. Nam ſi hoc fundamen- 120 tum pro vero aſſumetur, non hæ tantum vel illæ operæ, ſed omnes a Deo populo iudaico interdictæ prohiberi deberent. Aſt permittuntur quædam ibi expreſſe interdictæ. Prouoco ad vnicum exemplum, vt reliqua taceam: 121 Interdictum erat die Sabbathi cibum præparare, hinc die

ante-

antecedente tantum præparatos cibos comedere erat permiſſum. Sed contrarium permittitur ab omnibus, etiam illis Miniſtris Eccleſiæ, qui tamen irrationali Zelo præceptum veteris teſtamenti de Sabbatho non violando ſed ſanctificando vrgent. Sane qui vnam particulam Legis Mo-
122 ſaicæ vrget, totam legem obſeruare tenetur. Rogo vt conſideretur locus Apoſtoli *Gal. V. 3. teſtor vero iterum*, inquit, *omni homini, qui circumciditur, quod debitor ſit ad totam legem faciendam.* Equidem loquitur hic tantum de circumciſione, ſed quæſo anne innuit ſimul hoc quod diximus, ſcilicet, eum qui ſe patitur adſtringi ad partem legis ceremonialis, eo ipſo obligari ad totam legem ſeruandam? Iudicemus hic ſecundum ſpiritum, non ſecundum verba. At enim vero, annon prohibitio operarum die Sabbathi eſt pars legis ceremonialis? Patet ſane hoc ex iis quæ Cap. I. diximus. Chriſtus vero non a parte tantum legis ceremonialis, ſed a tota nos liberauit. Aut ergo ab omni opera abſtinendum, aut nulla opera prohibenda ex eo fundamento, quia die Sabba-
123 thi non licitum erat operari. Ieiuna vero eſt excuſatio, hanc operam præparandi eſſe operam neceſſitatis: hoc enim pernego. Annon neceſſitati ſatis occurritur comedendo cibos præcedenti die præparatos? Hanc exceptionem pe-
124 perit titillatio carnis. Quid ergo? an omnis opera permittenda die dominico? Hoc vero non dicimus. Sed prohibenda eſt omnis opera quæ impedit ſcopum inſtituti diei dominici; aſt non ob legis ceremonialis prohibitionem, ſed ideo, quia alias populus impeditur intereſſe conuentibus ſacris, & auſcultare prædicationem verbi, meditationibusque ſacris incumbere. Sed hac de re & quomodo priuati hic verſari debeant, plenius dicetur Capite ſequenti.

125 Sed ne his rebus nimium inhæreamus, plura non addimus, cum omnes ſpeciales caſus ex fundamentis ſuppeditatis deciſionem accipiant. Reſtat igitur vt pauca dicantur

de

de magiſtratibus inferioribus, quodnam ius habeant circa diem Sabbathi, & quod eorum ſit officium. Intelligo autem per magiſtratus inferiores illos, quibus in ſpecie cognitio in eccleſiaſticis a ſupremo Principe eſt conceſſa: quo pertinent noſtra Conſiſtoria. Equidem quando de iure 126
Conſiſtoriorum quæritur, facile vnusquisque intelliget, nullum ipſis ius competere per ſe, ſed quatenus hoc iis a ſuperiore conceſſum eſt. Conceſſit autem ſuperior iis o- 127
mnem directionem & cognitionem in eccleſiaſticis, nam *eo fine conſtituuntur Conſiſtoria, vt religio fidei pura & integra conſeruetur, diuinus cultus cum ædificatione populi inſtituatur, & vitæ puritas & morum ſanctitas conſeruetur, vt matrimonii caſtimonia & dignitas defendatur, & ſcandala amoueantur*, ſententia B. Brunnemanni eſt *in Iure Eccleſ. l. 3. c. 1. §. 3.* ſeu ut idem breuius rem explicat *d. c. 1. §. 23. In ſumma, ad ſacrum Conſiſtorium ſpecialiter ſpectat cuſtodia pietatis in vtraque Decalogi tabula.* Cum ergo omnis cura circa ſacra ipſis commiſſa ſit, 128
dubium non eſt, cultum diuinum diei Sabbathi ab ipſis ita dirigendum eſſe, vt omnis violatio euitetur; vti etiam hoc in ſpecie Conſiſtoriis incumbere aſſerit B. Brunnem. *d. §. 23.*

Videndum itaque nunc, quomodo Conſiſtoria hic 129
procedere debeant, vt ſuo ſatisfaciant officio. Vbi in genere omnia illa obſeruanda a conſiſtoriis ſunt, quæ Principis officio incumbere ſupra dictum eſt. Cum enim Conſiſtoria rebus eccleſiaſticis præſint nomine Principis, ad idem quoque obligantur, ad quod ipſe Princeps, cum hic non potuerit plus iuris in Conſiſtoria transferre, quam ipſe habuit. Sic, quemadmodum ſupra *n. 48.* diximus 130
Principem ſuo exemplo ante omnia præire debere, ita omnino idem incumbit adſeſſoribus Conſiſtorii, vt ipſi ſuo exemplo oſtendant, ſe fidem veram in puro corde poſſidere, ſe nihil quærere, quam vt homines Deum vere

colant, atque a vitiis abducantur. Hoc enim exemplum plus operabitur, quam plurimæ ordinationes conſiſtoriales, quibus adſeſſorum Conſiſtorii vita non eſt conformis.
131 Rem declarabo exemplis: In ordinationibus eccleſiaſticis conſtitutum, vt die dominico a compotationibus abſtineatur: Iam autem ſi videat populus, membra ipſa conſiſtorii, vel omnia, vel pleraque, ſumtuoſa conuiuia die dominico inſtituere, ac ad ſummam ebrietatem vsque compotare,
132 quæſo, annon ludibrio eſt eiusmodi ordinatio. Imo etiamſi die dominico abſtineant adſeſſores Conſiſtorii a conuiuiis, ſi tamen alio tempore ebrietati indulgeant, non poſſunt non efficaciam detrahere ſuis ordinationibus. Obligatur enim Conſiſtorium, vt ebrietatem omni tempore puniat, Chriſtian. Weberus *tr. de Iure Conſiſtoriorum cap.27.*
133 *Sect.24.* Hinc B. Brunneman. *d. c.1.* §.6. cum Webero *cap. 21.* requirit, vt adſeſſores Conſiſtoriorum *ſint viri docti, ſapientes, experientes, candidi, pii, honeſti, ſancti, vel inculpata vita, iuſti, a ſuſpicione omnis hæreſis, & pleonexias aut auaritiæ, alieni, bonæque famæ.* Præcipue vero vt Director Conſiſtorii *ſit ſapientiſſimus, grauiſſimus, qui non adfectibus indulgeat, ſed vacuus ſit a partium ſtudiis, easque patienter audiat.* Felix ſane ſtatus eccleſiaſticus eſt, vbi tales viri adſident Conſiſtoriis; ſed infeliciſſimus ſtatus eſt, vbi adſeſſores ſunt viri docti quidem, ſed impii, & piorum perſecutores, vitiis carnisque cupiditatibus dediti, raro ſobrii, iniuſti, auari, &c.

134 In ſpecie autem, prout ſupra *n.49. ſeqq.* de Principe dictum, ita a conſiſtoriis quoque procedendum, vel promo-
135 uendo cultum diuinum, vel tollendo impedimenta. Promouendo, dum omnia media, quæ in poteſtate Conſiſtoriorum ſunt, adhibentur, & fidelibus Dei miniſtris, de impietate hominum & neglecto cultu diuino querelas mouentibus, qua fieri poteſt ratione, adſiſtunt; cultumque diuinum, non publicum tantum, ſed & priuatum, promouent,

eius-

eiusmodi paſtores coërcendo qui ferre non poſſunt, vt Deus extra ædificia publica ſeu templa colatur; & quæ id generis alia ſunt. Remouendo impedimenta procedunt 136
Conſiſtoria, quando nihil permittunt publice, quo homines a negotiis ſacris piisque meditationibus abſtrahi poſſunt; ſiue actus per ſe illicitus ſit, quem ſemper prohibent, ſiue per ſe licitus, ſcopo tamen diei dominici contrarius, quem iſto tantum die non permittunt. De quibus, quia ſupra plenius actum eſt, hic nihil porro addimus.

In primis autem hoc incumbit Conſiſtoriis, tanquam 137
magiſtratibus inferioribus, vt, quæ a ſupremo Principe ſalubriter conſtituta & ordinata ſunt, accurate cuſtodiant & in effectum deducant; ne alias optimæ ordinationes non vſu irritæ fiant, & ludibrio habeantur a ſubditis; id quod obſequium, quo ſuperiori obſtricti ſunt, exigit. Sed & ſi vide- 138
ant quædam vitia, quæ propter negligentiam irrepſerunt, generali edicto pœnali tollenda eſſe, tenentur id referre Principi, atque conſtitutionem nouam exigere, omniaque facere, quæ ad pietatem promouendam & impietatem tollendam idonea iudicari poſſunt.

De pœnis quæ in violatores ab vtroque magiſtratu, tam 139
ſuperiore quam inferiore, ſtatuendæ ſunt, plurima moneri poſſent, ſi non breuitati ſtuderem. Per compendium dicimus, pœnas debere eſſe proportionatas delicto, & mitius puniendos illos qui ex *errore* peccant, quam qui ex *voluntate* ordinationes transgrediuntur, *illi* informatione, *hi* pœnis digni. Sed & in violatores Sabbathi potius pœnæ eccleſia- 140
ſticæ ſtatuendæ, quam ciuiles: h. e. in vſum reducenda diſciplina eccleſiaſtica. Cum enim hæc ipſa magis tendat ad correctionem animorum, facilius quoque ita obtinetur ſcopus diei dominici.

Addo, colophonis vice, quod & ſuperior magiſtra- 141
tus, ſeu Princeps, ſi videat, inferiorem magiſtratum ſuo

Digitized by Google

officio non ſatisfacere, ſed verum Dei cultum magis impedire, quam promouere, illum admonere ſerio debeat ſui officii, ac tandem remouere ex Conſiſtoriis illos, qui refractarii ſunt, & in viam & ordinem iuſtum redigi nequeunt.
142 Quæ tamen præcaueri poſſent, ſi, vt antea dictum eſt, pii tantum, ſapientes, & cordati viri Conſiſtoriis præficerentur.

CAP. III.

DE IVRE PRIVATORVM DIE SABBATHI.

Conſpectus.

Ratio connexionis. n. 1. 2.

De libertate Chriſtianorum circa Sabbathum. 3.

Hæc libertas non trahenda in abuſum. 4. 5.

Quæ ſit obligatio ad celebrandum diem dominicum. 6. ſeqq.

Quomodo a priuatis celebrandus, remiſſiue. 12.

Quid faciendum, ſi Princeps officio ſuo non ſatisfaciat. 13.

De operis remiſſiue. 14.

Explicatur L. 6. C. de feriis. 15. ſeqq.

Conſtantinus primus diem dominicum celebrandum lege publica iuſſit. 21. ſeqq.

Prohibiti ſunt actus iudiciales die dominico. 24. ſeqq.

An Actus voluntariæ iuriſdictionis permiſſi. 29. ſeqq.

Explicatur L. vlt. C. de Fer. 34. ſeqq.

An teſtes examinari poſſint. 38. ſeqq.

An arbitri cognoſcere. 43. 44.

Omnis exactio & executio prohibita. 45. ſeqq.

Etiam cognitio in criminalibus. 49.

An torturæ illo die locus ſit. 50. ſeqq.

Spectacula prohibita. 55. ſeqq.

An licita poſt peractum cultum publicum. 59. 60.

Ne

NE quidquam deſit, quod ad iuſtam tractationem 1
thematis pertinet, a magiſtratibus ad ſubditos
ſeu priuatos progredimur, hoc capite viſuri,
quid iuris circa eos obſeruandum, quid poſſint
& non poſſint. Quamuis enim ex ſuperio- 2
ribus pleraque quæ huc pertinent per ſe, prono, quod di-
citur, alueo fluant, nonnulla tamen ſpecialiter adnotanda,
maxime circa proceſſum iudiciarium die Sabbathi in iure
prohibitum.

Primum autem inter iura, omnibus Chriſtianis quæ- 3
ſita, eſt ius libertatis circa Sabbathum, in eo conſiſtens, quod
Chriſtiani ſublata lege Moſaica de Sabbatho, non amplius
adſtringantur per modum legis ad certi diei obſeruatio-
nem: ſed ſecundum libertatem modo hunc, modo alium
diem cultui diuino deſtinare poſſint, pro inſtinctu Spiri-
tus ſancti: quin quod Chriſtianis conueniat perpetuum
Sabbathum colere per omnem vitam, ſine dierum diſtin-
ctione. Quæ omnia Cap. I. ſuſius explicata ſunt. Sed hic 4
cauendum eſt, ne aurea hæc libertas in peſſimam traha-
tur libidinem, nam illis tantum hoc ius libertatis competit,
qui re vera ſunt Chriſtiani, & membra noui teſtamenti, h. e.
qui cum capite ſuo Chriſto tanquam membra ſunt vniti, e-
iusque ſpiritu præditi, quibus tota vita & omnis dies Sabba-
thum eſt. Nullo autem modo hæc libertas iis prodeſt,
qui hac veritate ad id abutuntur, vt, quemadmodum aliis
diebus Deum non colunt, ita ſub hoc libertatis prætextu
etiam diem dominicum in otio & voluptatibus tranſigere
poſſint. Horum ergo cauſa introductus eſt dies domini- 5
cus, vt illo in fide & doctrina inſtruantur, diſcantque, quo-
modo Deum non tantum hoc die, ſed toto vitæ ſpatio co-
lere & perpetuum agere Sabbathum debeant.

Oritur ergo ex receptione diei dominici vera obligatio 6

inter Chriſtianos ad eius obſeruationem: vbi tamen ordinis cauſa diſtinguendum eſt inter infirmos & adultos, vti hac in
7 parte in libris Symbolicis diſtinguitur, ceu ſupra Cap. I. oſtendimus. Infirmi, & multo magis rudes, ſeu qui nullam adhuc fidem habent, obligantur, vt cultum publicum diei dominici non negligant, non ex lege veteris teſtamenti de ſanctificando Sabbatho, ſed ex neceſſitate propria, vt infirmitati ſuæ ſuccurrant, defectum ſuppleant, ignorantiam diluant, & ex tenebris ad lucem perrumpant; ad hunc enim fi-
8 nem perveniendi via monſtratur die dominico. Quemadmodum enim vnusquisque naturaliter obligatur ad conſeruationem vitæ naturalis, ita multo maior eſt obligatio ad acquiſitionem conſeruationemq; vitæ æternæ, & ſic ad amplectenda omnia media huic fini inſeruientia: inter quæ referimus
9 cultum publicum diei dominici. Quæ obligatio augetur legibus humanis plerorumque locorum, quibus præcipitur, vt ſacris publicis interſint priuati; quæ leges, vtut humanæ ſint, tamen etiam obligationem in conſcientia pariunt.
10 *Rom. XIII. 5.* Quod vero ad adultos attinet, non quidem tanta eos ſtringit obligatio, ſed tamen aliqua. Hi enim ſunt, quibus libertas quæſita eſt in nouo teſtamento, hi norunt viam ſalutis, Chriſto vniti ſunt, & quotidie eum in Spiritu & veritate colunt, vt nulla neceſſitate adſtringantur id de-
11 mum diſcendi ab aliis: ſed adeſt tamen quædam obligatio quæ ex amore oritur. Amor autem nos impellit, vt ceteris ſimus exemplo, vt caueamus, ne occaſionem ſcandalo ſuppeditemus. Obligantur ergo vt cultum publicum non plane contemnant, cum ille rudibus & infirmis animis ſit neceſſarius, ſed potius ipſi, pro libertate tamen ſua, interſint. Sed de his ſupra actum eſt *Cap. I. n. 155. ſeqq.*

12 Ceterum quomodo die Sabbathi ſe gerere priuati, & a quibus negotiis tam licitis quam illicitis abſtinere debeant, ex iis patet, quæ præcedenti capite a Principe prohibenda dixi-

diximus. Illud tantum hic addimus, ſignum deprauati animi eſſe, nolle vel bonum facere, vel malum omittere, niſi præcedente lege: oderunt peccare boni virtutis amore, etiam gentilis Poëta agnouit. Quodſi ergo magiſtratus ſuo officio non ſatisfaciat, ſed mala omnia die dominico graſſari in ciuitate permittat, bonus ciuis tamen, multo magis Chriſtianus, ſua ſponte abſtinere ab iis rebus debet, quæ vel ſcandalum aliis præbere poſſunt, vel ipſi impedimento ſunt, ne animum ad Deum eleuare, contemplationibusque & meditationibus diuinis vacare poſſit. Ita quamuis vſus traharum, das Schlittenfahren/etiam die dominico publice permittatur, adhuc tamen eum illicitum eſſe, recte reſpondit Facultas Theologica Lipſienſis *d. 6. April. 1692.* 13

De operis ſubditorum, quousque prohibita ſint in nouo teſtamento, dictum eſt ſupra *Cap. I. n. 161. ſeqq.* hic tantum *L. 3. C. de feriis* explicatione indiget, vbi Conſtantinus ita conſtituit: *Omnes iudices vrbanæque plebes & cunctarum artium officia venerabili die ſolis quieſcant: ruri tamen poſiti, agrorum culturæ libere licenterque inſeruiant, quoniam frequenter euenit, vt non aptius alio die frumenta ſulcis, aut vineæ ſcrobibus mandentur; ne occaſione momenti pereat commoditas cæleſti prouiſione conceſſa.* Quid ergo cauſæ fuerit, quod omnes alias operas prohibuerit die dominico Conſtantinus Imp. & agriculturam exceperit, inquirunt hic interpretes. Communiter hanc legem intelligunt de caſu neceſſitatis, cum alias legi Moſis de ceſſando ob operis contradiceret. vid. Hillig. *ad Donell. l. 24. c. 7. lit. V.* Scaccia *de Iudic. l. 2. c. 5. n. 117.* ſed hæc reſtrictio in ipſa lege non eſt fundata, & dubiis non deſtituitur: nam lex in genere excipit ruri poſitos, non tantum certo caſu. Deinde ſcire vellem, quomodo iſte caſus neceſſitatis cognoſci poſſit: Si enim die ſolis tempeſtas aduerſa eſt, hic labor per ſe ceſſabit; ſi commoda ſit, quis ſcit, an die ſequenti ceterisque aduerſa non ſit ſequutura?

14 (beside "De operis ſubditorum")
15 (beside "ſti prouiſione conceſſa. Quid ergo")
16 (beside "ſed hæc reſtrictio")

tura ? Ergo ſemper erit concedenda agricolis hæc opera, non demum in caſu neceſſitatis, cum non conſtet an neceſſitas adſit, an ſecus. Chriſtus *Luc. XV. 5.* inter
17 caſus neceſſitatis refert, ſi bos & aſinus in puteum ceciderit, quia niſi ſtatim extrahantur, certo ſunt perituri: ſed de fructibus agri vel vineæ non conſtat quod ſtatim perituri ſint, ſi die dominico non colligantur & inferantur, hinc re vera hic non adeſt caſus
18 neceſſitatis. Ergo vel iniuſtitiæ accuſanda, vel ex alio capite excuſanda hæc conſtitutio: ſi illud, dicendum, male feciſſe Conſtantinum, quod curam rerum naturalium prætulerit curæ rerum ſpiritualium, contra monitum Chriſti *Matth. VI. 33.* vbi dicit, primum quærenda ea eſſe, quæ ad re-
19 gnum Dei ſpectant, cetera ſubſequutura. Quodſi ergo noſtra hypotheſis aſſumatur, qua ſtatuimus, præceptum de non laborando nos non ſtringere in nouo teſtamento, excuſari poteſt Conſtantinus. Nec obſtat, iniuſtum tamen
20 eſſe, agricolas ita impediri ab auſcultatione verbi diuini: nam reſpondetur, non dicit, quod ſemper excuſari operæ agriculturæ debeant, ſed tantum eo tempore, quo fructus inferendi: id vero reſarciri poſſet, ſi miniſtri eccleſiæ officium ſuum non adſtringerent ad diem dominicum, vti proh dolor! communiter fit, ſed potius ſingulis diebus, vel quibusdam in hebdomade catechiſationibus, aliisque modis populum in fide & virtutibus Chriſtianis inſtruerent, ad quod merito, iſto maxime caſu, adſtringendi.

21 Huius autem legis primo mentionem fecimus inter leges ciuiles quæ de Sabbatho agunt, quia hæc prima conſtitutio Imperatoria eſt, qua a ceteris diebus ſeparatus, & ita
22 ſanctior redditus eſt dies dominicus. Equidem iam antea cultui diuino deſtinatus is dies erat, & ſponte quoque Chriſtiani ceſſabant a laboribus tanquam impedimentis, ſed poſtquam Conſtantinus religionem Chriſtianam amplexus eſſet

ſet, ſanctiorem iſtum diem reddere publica Conſtitutione voluit. Vnde liquidum eſt, erraſſe Menochium, dum *in* 23
tr. de Arbitr. Iud. Quæſt. l. 2. c. 3. n. 18. aſſerit, Theodoſium omnium primum iuſſiſſe dies dominicos celebrari. Cum tamen hæc lex a Conſtantino iam menſe Martio, Anno poſt Chriſtum natum CCCXXI. fuerit publicata. Conf. Iacob. Gothofredus *in not. ad L. 1. C. Theodoſ. de feriis in fine.*

Sed eodem anno CCCXXI. Menſe Iunio adhuc aliam 24
legem tulit Conſtantinus pro celebratione diei dominici, cuius particula adiecta eſt a Triboniano *Legi 2. C. de Feriis*, integra enim prout in *L. 1. C. Theod. de Feriis* reperitur, ita ſe habet: *Sicut indigniſſimum videbatur diem ſolis venerationis ſuæ celebrem, altercantibus iurgiis & noxiis partium contentionibus occupari, ita gratum & iucundum eſt, eo die, quæ ſunt maxime votiua compleri: atque ideo emancipandi & manumittendi die feſto cuncti licentiam habeant, & ſuper his rebus actus non prohibeantur.* In qua lege duo continentur, regula & exceptio. Re- 25
gula hæc eſt, quod ab omnibus litibus & iurgiis ceſſare debeant homines die ſolis. Quod iam in priori conſtitutione *L. 3. C. Iuſt. de Feriis*, cuius verba ſupra adducta *n. 14.* continetur, in hac vero lege denuo repetitur. Habent ergo ex his legi- 26
bus priuati ius, quod in iudicio conueniri & litibus vexari iſto die non poſſint, quod antea obtinere non poterant Chriſtiani, vbi ſub ethnicis Imperatoribus, qui nullam huius diei prærogatiuam agnouerunt, degebant. Rationem vero huius conſtitutionis hanc reddit Sozomenus *l. 1. c. 8.* quia Gen- 27
tiles quoque feriis ſuis, quas Diis conſecrauerant, iurgia amouiſſent. vid. Iacob Gothofredus *ad d. L. 1. §. Hæc perſpicua.* Neque negari poteſt Conſtantinum plerorumque quæ in eccleſiaſticis ordinauit, rationem a gentilibus petiiſſe, ceu capite ſequenti demonſtrabitur. Interim commodior ratio decidendi ſubſtitui poteſt; quia litibus homines a negotiis ſacris & piis meditationibus abſtrahuntur. Exceptio vero, 28

M quæ

Digitized by Google

quæ in hac lege fundata eſt, in eo conſiſtit, quod, quæ votiua ſunt, eo die fieri poſſint, h. e. quæ votis maxime expetuntur, & beneficia continent in alios conferenda: cuius duas ſpecies hic recenſet Conſtantinus, emancipationem & manumiſſionem.

29 Huius vero exceptionis rationem, ſi in textu quæras, illa eſt, quia hæc maxime ſunt votiua, & ſic vtique bene a-
30 gere debeat permiſſum eſſe die Sabbathi. *Matth. XII, 12.* Interim Doctores aliam ſubſtituunt rationem, ſcilicet, quia emancipatio & manumiſſio ſunt voluntariæ iuriſdictionis, vnde & adoptionem & tutoris dationem, aliosque actus voluntariæ iuriſdictionis permittunt die dominico, vide Marantam, & Scacciam citatos a B. Brunnem. *in Comment. ad L.*
31 *2 C. de feriis. n. 4.* Sed hanc Doctorum ſententiam recte reiicit ibidem Brunnemannus, rationem potius cum Do-
32 nello in fauore & pietate negotii quærens. Adoptio ſane, maxime arrogatio, & tutoris datio aliquam cauſæ cognitionem exigunt, quæ ſi permitteretur, hoc ipſo iudices a negotiis ſacris abſtraherentur, quod hoc die ferendum non eſt: inſuper tutela onus eſt non beneficium, & cum tutor inuitus compelli poſſit, vt eam ſuſcipiat, manifeſtum
33 eſt, hoc fieri non debere die dominico. Ita ergo dicendum eſt, licitos eo die eſſe omnes actus voluntariæ iuriſdictionis, quibus beneficia alicui ex pietate conferuntur, quique nullam cauſæ cognitionem exigunt. Quam ob cauſam Doctores omnes cauſas pias in feriis etiam diuinis fieri poſſe aſſerunt. vid. Brunneman. *d. l n. 7.*

34 Conuenit cum iſta lege conſtitutio Leonis & Anthemii, quæ reperitur in *L. vlt. C. de Feriis*, vbi §. 1. ita ſancitum eſt: *Dominicum itaque diem ita ſemper honorabilem decernimus & venerandum, vt a cunctis executionibus excuſetur, nulla quenquam vrgeat admonitio, nulla fideiuſſionis flagitetur exactio, taceat apparitio, aduocatio deliteſcat, ſit ille dies a cognitionibus alienus,*

Digitized by Google

nus, præconis horrida vox ſileſcat, reſpirent a controuerſiis litigantes, & habeant fœderis interuallum, ad ſeſe ſimul veniant aduerſarii non timentes, ſubeat animos vicaria pœnitudo, pacta conferant, transactiones loquantur. Cuius legis miror mentionem non feciſſe Iacobum Gothofredum, qui *ad L. 1. C. Theod. de feriis* omnes conſtitutiones de celebratione diei
dominici ordine exhibet. Idem ergo ius, eademque im- 35
munitas ab omnibus litibus in hac lege tributa eſt priuatis, vti iam *in L. 1. C. Theod. de feriis* a Conſtantino factum. Tantum quod in *L. vlt.* hoc ipſum magis explicetur, ne vl-
lum dubium remaneat. Ita ſecundum Conſtitutionem 36
Conſtantini dubium eſſe poterat, an citatio die dominico fieri posſit; ſed vi huius legis nec citatio hoc die fieri de-
bet, ob verba: *nulla quenquam vrgeat admonitio.* Vt adeo 37
derelinquenda ſit ſententia Gailii, qui *l. 1. Obſ. 53. n. 5.* exiſtimat, citationem die feriato ad non feriatum fieri & inſinuari poſſe: quem proinde merito refellit B. Brunnem. *in Comment. ad d. L. vlt. n. 3.*

Vnde facile conſtare poteſt, quid ad illam quæſtionem 38
reſpondendum ſit, an teſtes ſi in die non feriato abſolui non potuerint, in die feriato examinari posſint? quod affirmat Farinac. *de Teſtib. qu. 80. n. 55. ſeqq.* Menoch. *de Ar-
bitr. Iud. Quæſt. l. 1. qu. 30. n. 15.* Vbi tamen merito negati- 39
ua ſententia amplectenda, nam ſi nec citatio inſinuari poteſt die dominico, vt antea probatum, multo minus teſtium examen ſuſcipi poteſt, hoc enim inſuper moram & labo-
rem exigit. Quid vero intelligatur in hac lege per horri- 40
dam præconis vocem, non omnino conueniunt Doctores. Alii his verbis ſubhaſtationes die dominico vetari exiſtimant, fiebant enim illæ præconis voce, cum ergo ſubhaſtationes debitoribus moleſtiæ fuerint, horridam eſſe præ-
conis vocem. Alii ideo hic horridam præconis vocem 41
dici arbitrantur, quia præcones vt plurimum eligantur

Digitized by Google

homines ſtentorea & horrida voce præditi. vid. Dionyſ.
42 Gothofredus *in not. ad d. L. vlt. lit. T.* Nobis nec una nec al-
tera coniectura diſplicet, interim tamen hoc probabile
eſt, ad certum caſum non reſpexiſſe Imperatores, qui ge-
neralem legem condiderunt, inde per horridam vocem
hic intelligi vocem minus gratam, qua vel ad iudicem quis
citatur, vel alio modo contra eum quidquam ſuſcipitur.

43 Neque tantum iudicibus interdicta cognitio die do-
minico, ſed & arbitris. Quo pertinet *L. 7. C. de feriis:* vbi
in fine hæc verba ſunt: *In eadem obſeruatione* (quod ſcilicet
iura differri debeant) *numeramus & dies ſolis, quos dominicos
rite dixere maiores, qui repetito in ſeſe calculo reuoluuntur: in
quibus parem neceſſe eſt habere reuerentiam: vt nec apud ipſos
arbitros, vel a iudicibus flagitatos, vel ſponte electos, vlla ſit cogni-
tio iurgiorum.* Conf. *L. 3. C. Theod. de Exſecutor. & exaction.*
44 Neque huic obſtat, quod tamen in *L. vlt. C. de feriis* dicatur
transactiones fieri poſſe die dominico, & ſic arbitros ſpon-
te electos cognoſcere poſſe, cum hoc modo ad transactio-
nes perueniri poſſit: nam reſpondetur, illæ transactiones
permiſſæ, quæ ſine magno negotio expediri poſſunt, at ar-
bitros ſecundum viam iuris procedere debere, & ab eorum
laudo ad arbitrium boni viri ſeu iudicis prouocari poſſe, ex
iure conſtat, ac proinde hoc non eſt medium tranſigendi,
ſed litigandi.

45 A cunctis etiam exactionibus abſtinendum eſſe, con-
ſtitutum eſt *in L. vlt. ſupra cit.* vt adeo nec debita liquida
exequi poſſit iudex: ſiue priuata fuerint, ſiue publica, quæ
alias magnum fauorem habent. Quo pertinet *L. 3. C. Theod.*
46 *de Exſecutor.* ibi: *Debitum publicum priuatumque nullus efflagi-
tet.* & *L. 1. C. Theod. eod. tit.* cuius hæc verba ſunt: *Die ſolis (qui
dudum fauſtus habetur) neminem Chriſtianum ab exactoribus
volumus conueniri; contra eos, qui id facere auſi ſunt, hoc noſtri
ſtatuti interdicto periculum ſancientes.* Quæ conſtitutio repe-
tita

tita in *L. 10. C. Theod. de Exactionibus.* Publicas autem exactiones a Valentiniano primum hac *L. 1.* prohibitas eſſe, cum Conſtantinus in *L. 1. C. Th. de feriis*, priuata tantum debita prohibuerit exigi, tradit Iacob Gothofred. *ad d. L. 1. C. Th. de Exſecut.* Sed an a paganis & Iudæis exigi poſſint debita die dominico quæritur? Licuit id per conſtitutionem Valentiniani ſenioris *in d. L. 1.* quia tantum Chriſtianorum facit mentionem; Cum autem poſtea Valentinianus iunior in *L. 3. C. Th. eod.* in genere prohibuerit, vllum debitum publicum & priuatum efflagitari, ab eo tempore, etiam a paganis & Iudæis debitum iſto die exigi non poſſe aſſerit Iac. Gothofr. *cit. l.* 47 48

Hactenus de cauſis ciuilibus dictum eſt, quod omnes lites, omnia iurgia, omnes etiam admonitiones & executiones ceſſare debeant die dominico, nunc de cauſis criminalibus quædam adiicienda, vbi tamen facilis deciſio eſt, ſicut enim cauſæ ciuiles, tanquam minoris momenti, cognoſci non poſſunt die dominico, ita multo minus cauſæ criminales tanquam maioris momenti, vid. *L. 6. C. de feriis*, quæ quidem in ſpecie de tempore quadrageſimali agit, ſed tamen ad diem dominicum pariter applicari poteſt. De tortura in ſpecie diſquirunt Doctores, an fieri poſſit die dominico? Id quod communiter affirmant, ſi atrocioris criminis reus ſit torquendus, ne differatur ſceleratorum proditio conſiliorum, quæ per latronum tormenta quærenda eſt, *L. 10. C. de feriis*, quæ, cum ipſo Paſchæ die, qui eſt dominicus, torturam permittat, recte etiam pro deciſione quæſtionis allegatur. Atque hoc de veneficis, maleficis, adulteris, violatoribus monetæ, homicidis & parricidis in genere aſſeritur *in L. 3. C. de Epiſc. Audient.* Verum ſi ad regulas iuſtitiæ examinentur iſtæ leges, non poterunt defendi. Vtut enim illi peſſimi homines nullo fauore digni ſint, vtut etiam non ſtatuamus, ſpecialem ſanctitatem ineſſe diei domi- 49 50 51

nico; interim tamen, & peſſimis hominibus concedendum, vt hoc die quiete omnibus conceſſa fruantur: debebat ipſis potius verbum Dei etiam in carcere prædicari, debebant admoneri, vt agerent pœnitentiam, quo & ad veram animæ quietem peruenire poſſent, hoc ipſo plus efficeretur
52 interdum quam per torturam: inſuper torquendo iudici eiusque miniſtris qui adeſſe & exequi torturam debent, tempus, ſacris meditationibus indultum, auffertur.
53 Vnde Carpzouius *Pr. Crim. qu. 124. n. 4. Rectius tamen*, inquit, *faciet iudex, ſi etiam hiſce in delictis executionem in alium diem non feriatum differat. Licet enim peccatum non eſſet, die feriato aliquem torquere, eſt tamen horrendum & miſerabile ſpectaculum, a quo propter Dei reuerentiam eſt omnino abſtinendum.*
54 Add. Iul. Clarus *in Pr. §. vlt. qu. 68. n. 34. & qu. 97. n. 6.* Inde non aliter hoc admittendum quod in d. LL. ſtatutum quam in caſu neceſſitatis, & vbi in mora eſt periculum. B. Brunnem. *ad d. L. 10. C. de Feriis in fin.* Qui tamen caſus neceſſitatis rariſſime continget.

55 Colophonis vice, dum circa leges iuris ciuilis, quæ de celebratione diei dominici agunt, occupamur, illud etiam addendum eſt, quod interdictum ſit priuatis iſto die ſpectaculis intereſſe, & hanc in rem ſpectacula celebrari ſit prohibitum.
56 Ita primum Theodoſius M. in conſtitutione ſua, quæ *in L. 2. C. Th. de Spectaculis* reperitur, præcepit: *Nullus ſolis die populo ſpectaculum præbeat, nec diuinam venerationem confecta ſolemnitate confundat.* Vbi ad legem præcedentem ſe refert Theodoſius. Idem poſtea generalius conſtituit Theodoſius iunior *in L. vlt. C. Th. de ſpectaculis* his verbis: *Dominico (qui ſeptimanæ totius primus eſt dies) & Natali, atque Epiphaniorum Chriſti, Paſchæ etiam & quinquageſimæ diebus, omni theatrorum atq; circenſium voluptate, per vniuerſas vrbes, earundem populis denegata, totæ Chriſtianorum ac fidelium mentes, Dei cultibus occupantur.*
57 Quod & Leo & Anthemius Impp.

Digitized by Google

Impp. *in L. vlt. C. Iuſt. de feriis* conſtituerunt: *Dies feſtos Maieſtati altiſſimæ dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari.* & §. 1. circa finem: *nihil eodem die ſibi vindicet ſcena theatralis, aut circenſe certamen, aut ferarum lachrymoſa ſpectacuſa.* Id quod Impp. etiam ampliarunt poſtea, ne vllo prætextu huic legi contraueniri poſſet, dum pergunt: *& ſi in noſtrum ortum, aut natalem, celebranda ſolemnitas inciderit, differatur.* Addendo & pœnam grauisſimam: *Amiſſionem militiæ, proſcriptionemque patrimonii ſuſtinebit, ſi quis vnquam hoc die feſto ſpectaculis intereſſe, vel cuiuscunque iudicis apparitor prætextu negotii publici ſeu priuati, hæc, quæ hac lege ſtatuta ſunt, crediderit temeranda.* Ex quibus textibus illud ſua ſponte 58
fluit, etiam contra leges ciuiles agere, qui comœdias & ſpectacula die dominico permitti poſſe cum Carpzouio aſſerunt; ſed hac de re iam ſupra actum eſt *Cap. II. n. 105. ſeqq.* Hic tantum binis verbis adiicio, communem illam ſenten- 59
tiam, qua nonnulli ſtatuunt cum Carpzouio, finitis ſacris vſum comœdiarum aliarumque rerum ludicrarum permitti poſſe, pluribus erroribus ſcatere, quos omnes quidem nunc excutere ſuperfluum eſt: Hoc tamen certum, 60
illam diſtinctionem, an iſta fiant durante cultu publico, an poſt eum, promanare ex principiis moraliſtico papiſticis, quod & agnouit Theologus quondam Lipſienſis Io. Benedict. Carpzouius, in ſeinen Tugendſprüchen/ vbi ita ſcribit: daß es nicht genug iſt wenn man an Morgen des Gottesdienſtes abgewartet welches viel der Päpſtiſchen Lehrer vor genug ausgeben und zulaſſen dürffen/ daß man den Nachmittag mit weltlicher Uppigkeit zubringe. Wie Nauarrus in ſeinem Manuali ſchreibet; qui audita miſſa conſumit dies feſtos in ludis licitis, vel choreis, vel vagando, non peccat mortaliter. *p. 943. 945. ſeqq.* Vnde & Danhauerus in der Catechiſmus-Milch *Conc. 40. fol. 569.* hoc vocat, einen Päpſtiſchen Sauerteig.

CAP.

CAP. IV.

DE
IVRE RITVVM ECCLESIASTICORVM DIE SABBATHI CONSVETORVM.

Conſpectus.

Tranſitus ad hoc caput. n.1.
Obiectio, hanc conſiderationem non pertinere ad ICtos. 2.
Diluitur. 3 ſeqq.
De ritibus in genere. 9.
Ritus externi ſunt neceſſarii. 10. 11. 12.
Sed ordinandi ſecundum indolem eccleſiæ noui teſtamenti. 13.
De diuerſitate eccleſiæ veteris & noui teſtamenti. 14. ſeqq.
Eccleſia Pontificia hac in parte iudaizat. 21.
An in noſtra omnes peruerſi ritus ſublati ſint. 22. ſeqq.
Generaliter (1) in ritibus ad indolem eccleſiæ noui teſtamenti, & exemplum primitiuæ eccleſiæ reſpiciendum. 26. ſeqq.
(2) A ſuperfluis ritibus abſtinendum 31. ſeqq.
(3) Omnes tendant ad emendationem. 37. ſeqq.
(4) Pauciſſimi ſint ritus. 43. ſeqq.
(5) Simplices. 47. ſeqq.
(6) Ritibus ſalua libertate vtamur. 51. ſeqq.
(7) Ad euitandam ſuperſtitionem etiam bonos ritus interdum tollamus. 56. ſeqq.
Progreſſus ad ritus ſpeciales. 61.
Proteſtatio. 62.
De origine templorum. 63. ſeqq.
Eorumque abuſus. 80. ſeqq.
De ornamentis templorum & imaginibus. 87. ſeqq.
De turribus. 100. 101.
De campanis. 102. ſeqq.
De muſica eccleſiaſtica. 110. ſeqq.
De hymnis eccleſiaſticis. 122. ſeqq.
De cantationibus & collectis paſtorum coram altari. 134. ſeqq.
De ornamentis altarium & ſuggeſtuum. 137 ſeqq.
De veſtimentis miniſtrorum eccleſiæ, 150. ſeqq.
De conſuetis euangeliis & epiſtolis. 150. ſeqq.
De peruerſo modo concionandi. 155. ſeqq.

Popu-

Populus in certas claſſes eſſet diſtinguendus. 161. *ſeqq.*

De abuſu precum publicarum. 164. *ſeqq.*

De annunciatione mortuorum. 167. 168.

De promiſcuo ſubſelliorum vſu vtriusque ſexus. 169 *ſeqq.*

De ritibus in adminiſtratione ſacræ cœnæ. 173.

An præciſe hoc ſacramentum in templis adminiſtrandum? 174. *ſeqq.*

An neceſſario præcedere debeat confeſſio priuata. 183. *ſeqq.*

De nummo confeſſionario. 188. 189.

An adminiſtratio ſacramenti fieri debeat coram altari. 190. *ſeqq.*

De ſuperſtitione circa altaria. 194. 195.

De vſu candelarum. 196. *ſeqq.*

De hoſtiis. 201. *ſeqq.*

De aureis & argenteis calicibus. 207. *ſeqq.*

De genuflexione ſolarum feminarum. 213. 214.

De conſecratione & concurrente ſuperſtitione. 215. *ſeqq.*

De omiſſa præuia admonitione communicantium. 220. 221.

De oſculo pacis in primitiua eccleſia. 222. 223.

De traditione ſacramenti. 224. *ſeqq.*

De linteis quæ ſubducuntur. 231. *ſeqq.*

De eo quod communicantes circumeant altare. 234. *ſeqq.*

De omiſſa admonitione finito vſu. 237. 238.

Annon totus cœtus ad finem vsque permanere in templo debeat. 239 240.

De benedictione. 241. *ſeqq.*

Cur hæc de ritibus expoſita. 245.

Non cauillandi cauſa. 246 *ſeqq.*

Nec vt turbentur conſcientiæ infirmorum. 250. *ſeqq.*

Sed (1) *vt parcatur conſcientiis.* 255 *ſq.*

(2) *vt reformemus eccleſiam.* 258. *ſeqq.*

Ius reformandi competit principi. 261. 262.

Dubia reſoluuntur.

(1) *Quod hoc ius competat toti eccleſiæ.* 263. *ſeqq.*

(2) *Quod hoc ſemel conſuetudine receptum ſit.* 266. *ſeqq.*

(3) *Quod ita noſtra eccleſia videatur imitari Reformatam.* 270. *ſeqq.*

(4) *Quod ſine ſcandalo mutatio fieri nequeat.* 274. *ſeqq.*

(5) *Quod inde tumultus orituri ſint.* 280. *ſeqq.*

Commendantur principi regulæ prudentiæ

(1) *Vt pios miniſtros vbique eccleſiæ præficiat.* 283 *ſeqq.*

(2) *Vt populus prius præparetur a miniſtris eccleſiæ.* 286. 287.

(3) *Vt emendatio rituum fiat gradatim.* 288. 289.

Concluſio totius diſſertationis cum precibus & monitis. 290. *ſeqq.*

1 HActenus de eo quod iuſtum eſt circa diem Sabbathi ſeu dominicum in genere, & de eius obligatione, quaque ratione ſe gerere debeat & princeps & priuati, ſatis abundeque dictum eſt. Nunc ratio tractationis iuſtæ exigit, vt etiam cultum ipſum, ſeu ritus eccleſiaſticos, qui hoc die celebrari ſolent, accuratiori iudicii lance ponderemus, omniaque ad regulas iuſtitiæ & æquitatis examinemus, ne aliquid
2 intactum relinquatur. Sed hic ſtatim ab initio obiici nobis poſſet, hæc non pertinere ad forum iuridicum, & ſic male a nobis iſta huc referri, cum ea hactenus ſibi theologi vindicauerint; ICtorum officium ad humana negotia pertinere, non ad illa, quæ proprie ad eccleſiam pertinent, multo minus ipſis ius competere ad cenſuram reuocare negotia, vnice ad theologos ſpectantia; & quæ huius generis alia ſunt, quæ hic opponi ICtis cordatioribus ſolent.
3 At enimuero, ſi hæ obiectiones ſine præiudicio conſiderentur, eiusmodi ſunt, vt non poſſint non ex principiis papatus originem trahere. Nemo enim, qui hiſtoriam eccleſiaſticam primis ſaltim labiis deguſtauit, tam rerum omnium ignarus eſt, vt neſciat, potiſſimum fundamentum dominatus clericalis in papatu fuiſſe, omnem in eccleſiaſticis rebus cognitionem auferre principibus, & ſoli clero adſcribere, vt nihil laicis in his rebus reliquum maneat, quam ſola obſequii gloria: de qua *Papo-Cæſaria* ſuperius Cap. II. quædam dicta ſunt. Cum autem ſecundum doctrinam puriorem euangelii hoc crimen damnemus, oportet vt etiam repudium detur iſtis rationibus, ex nullo
4 alio fonte deſcendentibus. Falſum enim eſt ſuppoſitum ad ſolos theologos pertinere, ritus præſcribere eccleſiaſticos, ordinemque in externis actibus dirigere: Falſum eſt, hos ritus non eſſe negotia humana, ſed diuina: Falſum

Digitized by Google

ſum etiam eſt, ſpectare illa propriam eccleſiæ rationem. Quin potius pluribus argumentis in Cap. II. probauimus, principi competere ius circa ſacra, quatenus hæc in externis ritibus & functionibus eccleſiaſticis conſiſtunt: eius eſſe ordinem externum in eccleſia obſeruandum præſcribere, illique competere ius circa ritus, tanquam circa adiaphora, iubendi quæ bona ſunt, & tollendi quæ cum verbo diuino & indole eccleſiæ noſtræ non conueniunt. Quo 5
ſuppoſito, cum ICti officium ſit, omnes res externas ſecundum regulas iuſtitiæ examinare, ab illo quoque alienum non eſt, idem obſeruare in ritibus eccleſiaſticis: vt conſtet principi, quomodo hic procedere ex bono & æquo, ſuoque iure circa ſacra rite defungi debeat. Neque dictis 6
refragatur, quod tamen in ſcriptura ſacra apoſtoli multa legantur ordinaſſe etiam circa ritus externos *1. Cor. XI. 17. ſq. 34. XIV. 34. 1. Tim. II. 12. 23. 24. Tit. I. 5. ſeqq.* atque adeo videatur hoc ius miniſtris eccleſiæ tantum competere: ad hæc 7
enim varie reſponderi poteſt, ſed cum breuitati ſtudeamus, per compendium dicimus, cum nemo alias fuerit, qui curam harum rerum ſuſciperet, omnino par erat id ſibi ſumere apoſtolos, qui ſpiritu Dei impleti omnium optime cognoſcebant, quid conueniret eccleſiæ Chriſti; vbi & in quibusdam ad rationem ſui temporis reſpexerunt vid. *1. Cor. XI. 4. ſeqq.* eos vero ſpecialem inde poteſtatem clericorum in eccleſiaſticis fundare voluiſſe, nulla ratione dici poteſt. Nec per modum legis vel præcepti quidquam populo Chriſtianorum iniunxerunt, ſed per modum complaciti, & conſilii, quod, quia optimum cognoſcebant Chriſtiani, promtiſſime etiam ſequebantur, non ex neceſſitate legis, ſed ex ſpontanea receptione. Optandum etiam eſſet in ordinandis ritibus ſemper ad genium eccleſiæ noui teſtamenti reſpectum fuiſſe, vt factum ab apoſtolis. Nullo 8
ergo fundamento hæc obiectio nititur, quatenus illa op-

Digitized by Google

ponitur principibus, ius circa ſacra ſibi aſſerentibus; quamuis ad id exempla apoſtolorum prodeſſe poſſint, quod princeps hic in conſilium adhibere etiam teneatur miniſtros eccleſiæ, non omnes, ſic enim quid facere debeat, ob tot diſſenſiones, ſemper incertus erit, ſed illos, quos videt ſpiritu apoſtolico præditos, & de incremento eccleſiæ ex toto corde ſollicitos.

9 His ergo obſtaculis remotis, antequam ſpeciales ritus conſideremus, quædam adhuc in genere præmittenda, quæ fundamentum dicendorum conſtituunt, & ex quibus
10 cetera ſine magno negotio diiudicari poſſunt. Et primo quidem id expeditum erit, neceſſarium eſſe ex indole temporum noſtrorum, vt ritus externi non negligantur, ſed bene & iuſto ordine diſponantur: cum alias non poſſit non ſumma confuſio oriri in eccleſia, ſi cuilibet liberum eſſe
11 deberet, in rebus ſacris pro ſuo arbitrio verſandi. Hoc enim eſt quod inculcarunt primis Chriſtianis apoſtoli. Hinc Paulus *1. Cor. XIV. 33.* dicit, Deum non eſſe Deum ἀκαταστασίας, ſeu confuſionis, & *vſ. 40.* ſuadet, vt omnia εὐσχημόνως· καὶ
12 κατὰ τάξιν fiant in eccleſia. Quod contra illos obſeruandum, qui circa reſtaurationem veri Chriſtianiſmi ſolliciti ſunt, & tamen non modo hoc negligunt, vt ſuo conſilio illa quoque, quæ externa ſunt in eccleſia, rite ordinentur, quo ipſo non poſſunt non ſibi impedimento eſſe; ſed & illorum curam reprobant, qui circa ordinandos ritus externos ſunt occupati.

13 Id tamen circa ritus externos probe obſeruandum eſt, vt ſemper accurate reſpiciatur ad veram indolem eccleſiæ *noui teſtamenti*, neque quidquam, quod illi contrarium eſt, aut non exaſſe conueniens, ſtatuatur: cuius rei negle-
14 ctus quam plurima hactenus incommoda peperit. Equidem non poterit nunc genuina vtriusque eccleſiæ, veteris & noui teſtamenti, conuenientia & diſconuenientia pro

Digitized by Google

pro dignitate rei explicari, ſed hoc aliis, qui ſpiritu noui
teſtamenti præditi ſunt, relinquimus: dicendum tamen eſt,
quantum ad inſtituti rationem pertinet. Abundabat eccle- 15
ſia veteris teſtamenti externis ritibus & ceremoniis, vti
lex leuitica ſatis ſuperque docet; de cuius ratione & cur
tot ſolennia conſtituerit Deus, non conueniunt doctores.
Nobis non improbabilis videtur Spenceri coniectura, quam
in tractatu de legibus Hebræorum ritualibus fuſe expo- 16
nit. Scilicet, viderant Iudæi apud Ægyptios cultum gen-
tilium & varia eorum feſta, quæ Diis ſuis conſecrauerant,
vbi nihil ſine pompa, ſed omnia ſolennisſime perageban-
tur, & innumerus erat rituum ac ſolennium numerus:
Iſraelitæ itaque cum educerentur, pronisſimi erant ad ido-
lolatriam, vti id poſtea in deſerto ſatis oſtendebant, inſu-
per quoque aſſueti iſtis pompis ſolennibus, vt natura ho-
minis ſemper ad externa procliuis eſt. Vt ergo infirmi-
tati populi ſui ſuccurreret Deus benignisſimus, multa ipſis
dedit feſta, magnumque rituum & ſolennium numerum
præſcripſit, quo ita omni ratione ab idololatria abſtraheren-
tur. Interim tamen ne iſti ritus fruſtranei eſſent, cum 17
Deus nihil fruſtra faciat, ita eos ordinauit, pro infinita ſa-
pientia ſua, vt figuram & typum præbeant, aduentus
Mesſiæ, & temporis noui teſtamenti, nec enim minimam
eius cultus externi particulam eſſe, quæ non ad eccleſi-
am noui teſtamenti eiusque ſanctitatem reſpiciat, inter
cordatos in dubium vocari nequit. Interea tamen hanc 18
non primariam cultus diuini partem fuiſſe, quæ in ritibus
conſiſtit, ſed ante omnia, etiam in veteri teſtamento, De-
um cultum internum exegiſſe, &, ſi hic defecerit, ipſi o-
mnes iſtos ritus abominationi fuiſſe, facile largietur, qui
loca ſequentia accurate penſitauerit. *Eſ. I. 11 - 18. Amos V. 21.*
- 25. Mal. II. 3. Ier. VI. 20. IV. 3. 4. iuncto Rom. II. 28. 29. Cum 19
ergo per Dei gratiam venire cœperint illa tempora, vbi

Digitized by Google

Deus legem ſuam cordibus fidelium inſcribere promiſit, vbi omnes debebant cognoſcere Deum a minimo vsque ad maximum *Ier. XXXI. 33. 34. Hebr. VIII. 10.* vbi ceſſare debebat obduratio cordis & tenebræ, omnes autem reuelata facie introſpicere gloriam Dei, & in eandem imaginem transformari a gloria in gloriam *2. Cor. III. 14. ſeqq.* Deus non amplius ritus præſcripſit, & ſolennia ſacra, ſed manifeſtauit per filium ſuum, quis cultus ipſi nunc placeat, ſcilicet cultus in ſpiritu & veritate *Ioan. IV. 20.-24.* Corpus enim venerat, itaque ceſſare debebat vmbra, typus, & figura. *Col. II.*
20 *16. 17. Hebr. X. 1.* Quæ cum ita ſint, inde porro demonſtrari poteſt, in eccleſia noui teſtamenti non cumulari debere ritus, nec plures retineri quam neceſſitas ipſa exigit, populum vero ab omnibus iſtis externis abducendum eſſe ad verum cultum internum.

21 Hoc fundamento præſuppoſito, nunc porro ad hanc trutinam vocanda eſt eccleſia pontificia, vbi ſtatim in oculos etiam imperitorum incurret, quam iſta iudaizet, quam minime, etiam quod ritualia, vt de doctrinalibus taceam, indoli noui teſtamenti conueniat. Vt patet vel ex propria confeſſione concilii Tridentini *Seſſ. XXII. cap. 1. & 5.* Hinc & plurimos ritus ad imitationem rituum V. T. ab iis inuentos eſſe, oſtendit paſſim Polyd. Vergilius *Tr. de In-*
22 *uent. Rerum.* Deinceps examinanda ipſa noſtra eccleſia, & videndum, an quoad ceremonias ab illo fermento pontificiorum plene liberata & purgata ſit, an nunc veram *εὐσχημοσύνην noui teſtamenti* præ ſe ferat? vbi facile apparebit, multas adhuc apud nos eſſe reliquias papatus, & ſpiritum noui teſtamenti adhuc plerisque eſſe incognitum.

23 Non imputo hic culpam Luthero aliisque reformatoribus, qui circa craſſiora occupati, & in perpetua cum aduerſariis in papatu pugna conſtituti, omnia ſimul tollere non poterant. Hinc & Lutherus, cum fratres Bohemi ad ipſum anno 1522.

Ioan-

Digitized by Google

Ioannem Cornu & Michaelem Album mitterent,atque ite-
rum anno 1523. in ſcriptis ipſum monerent, vt intermiſſam
diſciplinam ,verumque religionis & pietatis exercitium, re-
ſtauraret,ipſe reſpondit : *Nondum poſſumus aſſequi, vt eiusmo-
di inſtituatur doctrinæ vitæque probæ exercitium , quale de vobis
audimus. Res adhuc apud nos crudæ ſunt, lenteque procedunt:
Sed orate pro nobis.* Atque, cum iterum fratres Bohemi an-
no 1536. legatos ad ipſum mitterent, denuo conteſtatus eſt
dolorem ſuum, quod hoc iſto tempore obtinere plene non-
dum poſſit. Vnde optime Laſitius: *Danda venia eſt, tanto
viro,in pontificio dominatu infringendo,ceteroque multiplici an-
tichriſtiano luto abſtergendo, eoque bellis extraneis occupato,ali-
quid domi oblitum. Quis enim ſolus vno & eodem tempore cuncta
animaduertat, abſoluat? Nec omnia poſſumus omnes, nec vni dat
cuncta Deus, vt ipſe Lutherus, in libro de ſeruo arbitrio ſcribit.
Creuit, creſcitque ſemper progreſſu temporis hominum ſapien-
tia: adde,quædam deeſſe vni, vt ea ſuppleat alter.* Quæ verba
Laſitii, cum præcedentibus & integra hiſtoria, refert Io.A-
mos Comenius *in Hiſtoria fratrum Bohemorum* §. 74. ſeqq.
Sed adſcribimus hoc culpæ ſucceſſorum Lutheri ad noſtra 24.
vsque tempora, quod cœptam reformationem non conti-
nuauerint, ſed omnia in ſtatu quo inuenerunt reliquerint,
contra mentem Lutheri, quam aliquoties in ſcriptis ſuis ex-
plicauit. Quin quod multi hodie in ea ſententia hæreant,
nobis nullum locum relictum eſſe reformationi,& inde cor-
datiores,qui emendationem eccleſiæ vrgent, tanquam ſedi-
tioſos & hæreticos,ſub noua criminis, quod *Reformatismum*
vocant, nota perſequantur. Quos tamen ipſa ratio abſur-
ditatis conuincit. Fatendum eſt, eccleſiam *Reformatæ* re- 25.
ligionis, quoad externos ritus, magis purgatam eſſe, quam
Eccleſiam *Lutheranam*, vti vocatur. Sed ſimul dolendum
eſt, in hac diuerſitate actuum eccleſiaſticorum, & ritu-
um, ab imprudentibus theologis vtriusque partis,
par-

partem diuerſitatis religionum ſtatui; id quod non poteſt non rudem populum mirifice turbare, vtpote qui hac ratione allicitur, vt omnia ex ritibus externis æſtimet.

26 Sed hæc & affinia nunc pluribus proſequi permiſſum nobis ob temporis chartæque anguſtiam non eſt. Nihil addimus, quam ſeptem regulas generales, quæ attendendæ ſemper ſunt in ordinandis ritibus, & ex quibus ſpeciales caſus facili opera iudicari poſſunt. Prima itaque hæc eſto: IN ORDINANDIS RITIBVS RESPICIENDVM ANTE OMNIA, AD INDOLEM ECCLESIAE NOVI TESTAMENTI, ET EXEMPLVM PRIMITIVAE ECCLESIAE.

27 Res magna probatione non indigebit, cum cordatiores facile conſenſuri ſint. Primum enim membrum regulæ per ſe fluit ex iis, quæ paulo ante de diuerſitate eccleſiæ veteris & noui teſtamenti adduximus. Ex quibus non tantum ſequitur ceſſare hodie legem ceremonialem, nec vltra neceſſitatem augendos ritus eſſe; ſed etiam hoc, iſtos ritus, quos neceſsitas etiam in nouo teſtamento exigit, ita comparatos eſſe debere, vt cum ſanctitate noui teſtamenti & ſpirituali

28 cultu conueniant. Nec alterum membrum, de imitanda hac in parte primitiua eccleſia, dubia habet. Cum vtique non dentur meliores doctrinæ de Chriſtianismo interpretes, quam ipſi apoſtoli, qui dulciſſimam hanc doctrinam ex ore ipſius Chriſti hauſerunt; & ſpiritu Dei impleti erant, Sed ex horum ore & traditionibus videntur percepiſſe primi Chriſtiani ea, quæ etiam in externis ritibus obſerua-

29 runt. Erat inſuper primitiua eccleſia conſtituta medios inter hoſtes, inter iudæos & inter gentiles, qui nullam occaſionem intermittebant, traducendi Chriſtianorum cultum. Sed cum ex hiſtoria eccleſiaſtica conſtet, nihil hoſtes inuenire potuiſſe quod reprehenderent, quin potius eosdem ſæpe ſacra Chriſtianorum laudare coactos fuiſſe; vel hoc documento eſt, quod omnia eo tempore quam optime diſpoſi-

poſi-

Digitized by Google

poſita fuerint. Hinc tam intrepide, & cum magna *παῤῥησίᾳ* Patres in ſcriptis ſuis prouocarunt hoſtes, vt in vita & religione Chriſtianorum aliquid oſtenderent, quod non pium & laudabile eſſet. Sed dum ad primitiuam eccleſiam prouo- 30
camus, eam intelligimus, quæ a temporibus Apoſtolorum tribus ſeculis ad Conſtantini vsque tempora fuit continuata; nam tamdiu optima quaſi fuit eccleſia, quamdiu ſub cruce fuit: quamuis etiam hoc tempore, quo magis diſtabat a temporibus Apoſtolorum, eo magis a ſimplicitate deflectere quandoque incipiebat. Donec tempore Conſtantini Magni *florere* quoad ſpeciem externam & pompam incipiebat, ac ita amiſſo crucis iugo, magis magisque degenerabat.

Sequitur ſecunda regula: A SVPERFLVIS RITIBVS 31
OMNI MODO ABSTINENDVM. Cuius regulæ proba- 32
tio partim ex ante dictis deſumi poteſt, quod eccleſia noui teſtamenti non admittat tantum numerum ceremoniarum; partim exinde, quod multa pariant incommoda ſuperflui ritus. Conſtat enim nihil magis ſuperſtitioni occaſionem 33
ſuppeditare quam nimium cumulum ceremoniarum. Imprudens vulgus, imo & eruditi carnales, facile in eam ſententiam prolabuntur, in his rebus cultum conſiſtere diuinum, ac ita a vero cultu interno ad externum ducuntur: Vnde & videmus a plerisque in his rebus partem religionis conſtitui, de quibus tollendis ſi agatur, conqueri incipiunt *religionem mutari*. Cœpit iſte modus cumulandi ritus ſta- 34
tim poſt tempora Conſtantini Magni, nam primis temporibus pauciſſimis ritibus vſos fuiſſe Chriſtianos, ex hiſtoria eccleſiaſtica conſtat; ſed vix cœperat, cum ſtatim homines exiſtimare inciperent, hoc & non alio modo cultum Deo gratum præſtari poſſe. Inde tot feſta ortum traxere maximam partem ſuperflua, quæ tamen in papatu ideo po- 35
tiſſimum inſtituta, vt hoc modo diuitias & opes populi corraderet clerus. Vnde etiam Lutherus *Tom. Ienenſ. 1. fol. 242.*

Digitized by Google

der Sontag heiſſet Ruhe-Tag/ oder Feyer-Tag/ oder
Heilig-Tag. Und wollte Gott daß in der Chriſtenheit kein
Feyer-Tag wären denn der Sontag/ daß man unſer
Frauen und der Heiligen Feſte/alle auff den Sontag leg-
te/ſo blieben viel böſe Untugenden nach/ durch die Arbeit
der Werckeltage/ würden auch die Länder nicht ſo arm
und verzehret: Aber nun ſind wir mit vielen Feyertagen
geplaget/zu Verderbung der Seelen/Leib/ und Güther.
Davon viel zu ſagen wäre. Optandum eſſet vt hodie atten-
36 derentur monita iſthæc Lutheri. Equidem, vt ad ritus in
ſpecie reuertamur, alias interdum valet regula, quod ſuper-
flua non noceant; ſed hoc loco non procedit, cum ſatis ap-
pareat, quantum noceant ſuperflui ritus, quam abducant a
vero cultu diuino.

37 Sed hæc eo magis patebunt, ſi addamus tertiam regu-
lam: NVLLI RITVS TOLERANDI IN ECCLESIA
CHRISTIANA, QVI NON TENDVNT AD EMEN-
38 DATIONEM. Ex qua regula ſimul iudicium ferri poteſt,
quinam ritus ſint ſuperflui, ſcilicet, qui ad actum & negoti-
um ſacrum non neceſſario pertinent, nec quidquam ad e-
39 mendationem faciunt. Quod vero omnia ad ædificatio-
nem & emendationem fieri debeant, nemo, opinor, tam ab-
ſurdus fuerit, vt neget. Sane emendationis cauſa inſtitutus
eſt dies dominicus, oportet ergo, vt omnia illa, quæ iſto die
40 peragenda, ad emendationem tendant. Omnia fiant ad ve-
ſtram ædificationem, dicit Apoſtolus *2. Cor. XII. 19.* atque
adeo ſuo exemplo docet, quis ſcopus omnium actionum no-
ſtrarum eſſe debeat. Et quando idem *1. Cor. XIV.* de diuer-
ſis donis Spiritus S. loquitur, quod alii loquantur linguis,
alii prophetent, *v. 5. ſeqq.* dicit, vtut linguis loqui ſit do-
num, melius tamen eſſe prophetare, cum hoc intelligant
audientes & ſic tendat ad ædificationem, illud non. Hinc
v. 12. pergit: *Quoniam æmulatores eſtis ſpirituum, ad ædificatio-*

nem

Digitized by Google

nem eccleſiæ quærite vt abundetis. Conf. *v. 16. 17. 19. 23. ſeqq.* Ex 41
quibus locis firmiſſimum duci poteſt argumentum, ſi & inter diuerſa dona Spiritus Sancti illa præferenda ſunt, quæ tendunt ad ædificationem, quanto magis id in ritibus obſeruandum. Ad id porro nos impellit verus amor erga pro- 42
ximum, vt illum omni tempore ac modo, & exemplis, & verbis, & rebus ipſis & factis emendare quæramus. Optime B.Brunn. *de iur. Eccleſ. l. 1. c. 6. m. 8. n. 4. In omnibus eccleſiis hoc præcipue ſpectandum, vt omnia ad ædificationem eccleſiæ fiant, quicquid autem ad eccleſiæ ædificationem non facit, illud ineptum eſt.* Confer. Dn. Buchius *Diſſ. de Ceremoniis Eccleſiaſticis c. 3. §. 19.* vbi ita loquitur: *ceremoniarum finis ſemper ad ædificationem eſt referendus, qua poſtulante, non modo mutari aliquid, ſed quicquid ante in vſu fuit inuerti poteſt. Eccleſiæ itaque vel magiſtratui fas eſt ceremonias inutiles, magisque ad ſcandalum, ἀταξίαν quam εὐταξίαν comparatas, ratione qua fieri poterit commodiſſima, abrogare.*

Regula quarta hæc eſto: RITIBVS VTENDVM 43
PAVCISSIMIS. Quæ quidem cum ſecunda conuenire videtur, ſed tamen ex parte differt: nec enim ſufficit ſuperfluos ritus non admittere, ſed & inter bonos & vtiles ritus ſelectus inſtituendus, atque omittendi, quos non negotii natura & neceſſitas ipſa exigit. Ratio vero huius regulæ flu- 44
it primo ex iis quæ ſupra de indole eccleſiæ noui teſtamenti dicta ſunt: Inde Chriſtus & Apoſtoli nobis ſubinde res diuinas myſteriaq; & ſacramenta commendarunt, ſed nunquam ritus certos & formas rerum magno ſtudio præſcripſerunt.
Deinde ideo etiam paucitas requiritur, quia vt plurimum, 45
quo plures ſunt ritus & ceremoniæ, eo magis a vero cultu abſtrahuntur homines, & in ſuperſtitionem cadunt. Videmus id in eccleſia pontificia, vtinam in noſtra quoque hoc non quotidie obſeruari poſſet. Deus ſane non ita delecta- 46
tur ſolennibus & pompis vti homines, ille corda introſpi-

 cit,

Digitized by Google

cit, non habitum, non formam externam attendit: ſi ex vero & ſincero corde colatur, hoc ipſi gratum eſt, quamuis omnis abſit ceremonia, ſi autem cultus ex hoc fonte non prouenit, ipſi diſplicet, etiamſi ſit ſolenniſſimus. Faciunt huc omnino verba ipſius Eraſmi inter Pontificios, qui *ad Hieronymi Epiſt. ad Algaſiam T. III. p. m. 115. F. in Antidoto* de ceremoniis ita loquitur: *In quaſtione decima ſcribit* (Hieronymus) *Chriſtianum non eſſe, teneri ceremoniis & preceptis humanis, quod magis eſt Iudæorum --- non ſentit de ceremoniis quas præſcribit eccleſia, quanquam omnino conuenit eas quam PAVCISSIMAS eſſe, alioquin ex his, tametſi ſpeciem habent pietatis, tamen miro quodam modo omnis VERAE PIETATIS PESTIS naſcitur: At nunc Chriſtiani pluribus premuntur ceremoniis quam Iudæi, & pietas admodum friget.* Et quamuis Eraſmum valde perſtringat Marianus *in Schol. ad h. l. T. X. p. 134. C.* vbi hanc Eraſmi doctrinam venenum & blaſphemiam vocat, ſaniores tamen, qui rem non ex conſuetudine ſed ex veritate perpendent, facile animaduertent; recte ſenſiſſe Eraſmum, & inepte prorſus hunc illum perſtringere.

47 Cum autem quidam ritus neceſſario requirantur, & omnibus carere non queamus, addo V. Regulam: IN RI-
48 TIBVS SIMPLICITAS PLACEAT: Videmus Apoſtolos ſimpliciſſimis ritibus vſos eſſe, cum magis ad rem quam ad formam & modum reſpexerint, ne quidquam detrahatur efficaciæ rei. Inde *1. Cor. I. 17.* dicit, ſe ideo euangelium non prædicaſſe in ſapientia ſermonis, ne euacuetur
49 crux Chriſti: *add. 1. Cor. II. 1-5.* Illi ritus ſunt ſimplices, vbi ſtatim vnusquisque intelligit quid agatur, ſine interprete, ceremoniæ longius petitæ exiguum vſum præſtant, & tan-
50 dem in ſpectacula degenerant. Certe hoc improbamus in pontificiis, idem ergo nos ipſi euitemus, ne de noſtris ritibus dici poſſit, quod aſſerit Georg. Wicelius *in via Regia de Ceremoniis p. 324. Spectat populus auidis oculis quod geritur,* &

Digitized by Google

*& ignorat quid geratur: nec multum intereſt, ludúmne aut fa-
bulam ſaltari videat in foro, aut res tractari ſacras in templo.*

Regula VI. hæc erit: RITIBVS SALVA LIBER- 51
TATE VTENDVM EST. Sunt enim ritus res mediæ,
& in iure diuino non præcepti, ſed ab hominibus excogi-
tati, quibus vti poſſumus, ſed ſine vinculo conſcientiæ. Si- 52
mulac conſtringimus aliquem ad obſeruandos ritus, ſtatim
nouum iugum ipſi imponimus, nouamque legem ceremo-
nialem, a qua liberati ſumus in nouo teſtamento. Inde 53
Lutherus, in der Kirchen-Poſtill *Epiſt. ad Dom. IV. Aduentus.*
Das ſoll in Ceremonien/ Geſang/ Gebethen/ und allen
andern Kirchen-Ordnungen verſtanden werden/ ſo lan-
ge man ſolche aus Liebe und Freyheit thut/ nur zu Dienſt
und Willen der Geſellſchafft/ die da iſt/ ſoll mans halten/
wo es ſonſt ein Werck an ihm ſelbſt nicht böſe iſt. Wenn
man aber darauff dringet/ es müſſe alſo ſeyn/ alsbald ſoll
man ablaſſen und darwider thun/ um die Freyheit des
Glaubens zu erhalten. Vnde optime Dn. Spener. Theolog.
Bedencken *P. I. c. 2. art. 5. Sect. 6. p. 167.* Ich ſorge daß diejenige
vielmehr der Freyheit der Gewiſſen Eintrag thun/ wel-
che eine freye Ceremonie denenjenigen wider ihren Willen
auffdringen wollen/ die ein Mißfallen und Gewiſſens-
Scrupel dabey haben: da man doch ſonſt den Schwa-
chen in dergleichen Fällen/ da ſie ſich etwa ſtoſſen möchten/
willig ſich zu bequemen pfleget/ ja wol ſeine eigene Frey-
heit darüber beyſeite ſetzet/ ſo viel eher denen andern die
ihrige läſſet. Vnde omnino iniquum eſt, conſtringere mi- 54
niſtros eccleſiæ, qui hos vel illos ritus ob ſcrupulum conſci-
entiæ abhorrent, vt inuiti eosdem obſeruent; cum hoc di-
recto pugnet contra libertatem. Vnde in ordinatione eccle- 55
ſiaſtica Brunſuicenſi antiquiſſima Anno 1528. edita, cuius ti-
tulus: Der ehrbaren Stadt Brunſwig Chriſtlicke Orde-
ninge/ to Deenſte dem hilgen Euangelio/ Chriſtlicker

Digitized by Google

Lehre/ Tucht/ Frede unde Enigheit/ ock darunder vele Chriſtlicke Lehre vor de Borger/ dorch Joh. Bugenhagen Pomern beſcreven/ expreſſe ſancitum, quod paſtores non impediantur, quo minus ritus quoſdam mutent circa *ſtolas* & *lumina:* **Dar fragen wy nichts na/ het gelt ons glycke vele/ dat ſchal eu fry ſyn/ ut Chriſtlicker Fryhet.** vid. B. Dn. a Seckendorf. *in Hiſtor. Lutheraniſmi l. 3. Sect. 27. §. 109. p. 450. a* Conferantur duo loca ex Luthero ſupra in calce præfationis adiecta.

56 Se quitur tandem Regula VII. & vltima: AD EVITAN-
DAM SVPERSTITIONEM ETIAM BONI QVANDO-
57 QVE RITVS TOLLENDI. Non ero prolixus in explican-
da ſuperſtitione, ſiquidem quid hac voce denotetur, pru-
dentioribus ſatis notum erit. Breuibus: Superſtitio hoc
loco eſt, cultum diuinum in re alia quærere, quam in ſpiritu
58 & veritate, & adhærere vlli alii rei extra Deum. His ita
cognitis, porro progredior, dicendo, ritus etiam bonos haud
raro occaſionem ſuppeditare ſuperſtitioni, dum populum in
eam inducunt ſententiam, in his ritibus neceſſario partem
cultus diuini conſtituendam eſſe. Quæ ſuperſtitio hodie
frequentiſſima eſt, dum quam plurimi homines, in frequen-
tatione templorum, auſcultatione verbi &c. cultum diui-
num conſtituunt: in ornamentis templorum aliiſque riti-
bus, quos mox ſpecialius attingemus, annon populus par-
tem religionis conſtituit? Ex ritu S. cœnæ vulgus iudicat an
ſit in cœtu Reformatorum aut Lutheranorum. Vtraque
pars ſuos ritus ſuperſtitioſe colit, quia mordicus eos defen-
59 dunt, nec latum vnguem recedere volunt. Nunc confe-
rantur quæſo ritus illi cum ſuperſtitione, & iudicet homo ſa-
næ mentis, an melius ſit confirmare populum in ſuperſtitio-
60 ne, quam tollere iſtos ritus? Si dixeris aliam viam dari me-
diam, ſcilicet vt admoneatur populus, ne his rebus inhære-
at; reſpondeo, nemo forſan ex miniſtris eccleſiæ dicet, ſe
hoc

hoc non facere, interim tamen populus manet ſuperſtitioſus. Oſtendas ergo doctrinam tuam ipſo facto, & tollas ritus, vt videant omnes, ſeriam eſſe tuam ſententiam, in his rebus non conſiſtere cultum.

Quibus ita in genere de ritibus præmiſſis, nunc ad 61
ſpeciales ritus in eccleſiis noſtris vſitatos die Sabbathi progrediemur, eosdem examinaturi ſecundum generalia hactenus præmiſſa. Vbi tamen ſanctiſſime proteſtamur, 62
quod, dum hos vel illos ritus receptos, aut etiam plerosque, inutiles, ſuperſtitioſos, incongruos dicimus, hoc ipſo nihil detractum velimus veritati religionis, ſiquidem ſatis nobis conſtat, religionem nullam, niſi peruerſiſſima ſit, in his rebus externis conſiſtere: quin potius populum, qui adhæret his ritibus, a falſo conceptu religionis abducere, & ad verum eius ſenſum perducere, animus eſt. Nihil etiam ſtudio nouitatis, cui alias iuuentus plerumque addicta eſſe ſolet, aut pruritu omnia traducendi, aut ex leuitate animi afferetur, ſed potius veritatis, quæ ſupprimi non debet, amore & impulſu, non potuimus non hic ingenue agere, omni præiudicio depoſito, poſtquam diu ſatis hæc deliberata & ponderata ſunt.

Auſpicium faciamus de *templis*, in quibus omnes alii 63
ritus die Sabbathi celebrari ſolent: vbi non errauero, ſi originem templorum ab ipſis gentilibus repetiero. Con- 64
ſtat enim ex hiſtoriis, olim templa inter gentes frequentisſima fuiſſe, quamuis a qua gente iſte mos originem traxerit, adhuc dubium ſit. vid. Hoſpinianus *tr. de Origine templorum l. 1. c. 5.* Hoc tamen certum eſt, fuiſſe in vſu templa inter gentes, etiam antequam exſtrueretur templum Hieroſolymitanum. Quod pluribus probauit Spencer. *de leg. Hebræor. ritual. l. 3. Diſſ. 6. c. 1. Sect. 1.* Qui Autor prolixe eam 65
ſententiam tuetur, templum Iudæorum etiam a templis gentilium originem traxiſſe, cum enim Iſraelitæ ab Aegyptiis non exigua idololatriæ principia hauſerint, & templa

quo-

to originem traxiſſe a templis gentilium. Certe ex ra- 70
tione templi Hieroſolymitani non deſcendunt, non enim
debebant plura quam hoc unicum exſtrui, aſt inter Chri-
ſtianos ſunt infinita templa. Non poterat alio loco ex-
ſtrui quam Hieroſolymis, aſt hodie vbicunque locorum
habemus templa. Vt hic non denuo repetam, iſtud tem-
plum ad Iudæos ſpecialiter ſpectaſſe, & typum fuiſſe noui
teſtamenti, vbi templum, quod manibus erectum non
eſt, inſtaurari in cordibus hominum debebat. Hinc La- 71
ctantius *Inſtit. diuin. l. 1. c. 20. n. 23.* *Quid opus eſt*, inquit, *ſu-*
peruacuis exſtructionibus loca occupare, quæ poſſint humanis vſi-
bus cedere. Firmius & incorruptius templum eſt pectus huma-
num. Hoc potius ornetur: hoc veris numinibus impleatur. Hinc
etiam in tribus prioribus ſeculis, poſt Chriſtum natum
nulla templa habuerunt Chriſtiani, & tamen Deum ſin-
cere coluerunt in locis priuatis. Vnde & ab Ethnicis
Atheiſmi accuſabantur, ideo quod templa non habuerint.
Euſebius *l. 10. c. 2.* Cui non obſtat, quod ideo templa non 72
habuerint, quia ſub perſecutione fuerint, & Imperatores
hoc non permiſerint: nam reſpondetur, nunquam tamen
in primitiua eccleſia, vel ab Apoſtolis vel ab eorum ſuc-
ceſſoribus aſſertum fuiſſe, templa in nouo teſtamento ex-
ſtruenda eſſe, tanquam neceſſariam partem cultus diuini;
cuius aliqua ſaltem veſtigia extarent, ſi hæc eorum mens
& ſententia fuiſſet. Coeperunt autem templa a tempore 73
Conſtantini M. qui ſuaſu clericorum magnifica & regia
palatia, inde etiam baſilica dicta, exſtruebat, & magna
ſolennitate & pompa inaugurabat. Scilicet non poterat 74
id ferre Conſtantinus, nouiter ad Chriſtianiſmum a Gen-
tiliſmo conuerſus, vt ſplendidisſimis templis gentiles De-
os ſuos colerent, Chriſtiani vero iisdem deſtituerentur:
Hinc ad abundantiam exſtruebantur templa, non tantum
in honorem Dei, (quamuis etiam magnificis templis ho-

nor Dei non promoueatur) ſed & in honorem & memo-
riam martyrum, quæ proinde martyria dicebantur. vid. So-
75 zomenus *l. 2. c. 26.* Auguſtinus *de Ciuit. Dei l. 22. c. 10.* Quis cre-
diderit hæc non a Gentiliſmo mutuata eſſe? Sed ne hæc pro-
derent, templa exſtruebant communiter iuxta formam tem-
pli Hieroſolymitani, vt ita commonſtrarent, quam ignari
76 eſſent indolis noui teſtamenti. Pertinent huc verba Lu-
theri *Tom. II. Ienenſ. fol. 333.* Der König Salomo hat wohl
gethan/ daß er den Tempel bauet/ und ward ihm von
GOtt wohl vergolten. Da fahren unſre blinde Narren
nun auch zu und predigen/ man müſſe Gott Kirchen und
Tempel bauen/ ſo uns doch davon nichts befohlen iſt.
77 Cui non diſſimilis eſt alius locus Lutheri, quo oſtendit, non
eſſe neceſſaria templa in nouo teſtamento. In der Kir-
chen-Poſtill/ am Tage der Kirchweyhe: So ſehr als die
Menſchliche Fürwitzigkeit zu äuſſerlichen Gebäuden ver-
führet/ ſo ſehr ſolte das Evangelium den warhafftigen
Tempel Gottes zu erkeñen dringen; auff daß die/ ſo Chri-
ſtum angehören/ die Stimme ihres Hirten höreten/ und
nicht auff die äuſſerlichen mannigfaltigen Larven der
Kirchenweyhung vor die rechtſchaffene Heiligung Got-
tes/ achtung geben; aber es iſt in dieſen letzten Zeiten in
dieſer Thorheit gerathen/ daß wir dieſe öffentliche War-
heit des Evangelii in die alten Figuren zu ſchlieſſen uns
unterſtanden haben/ welches zu dem alten Teſtament hat
gehöret/ da der wohlgebaute Tempel Salomonis hat be-
deutet unſre Leiber/ daß dieſelbigen ſolten Wohnungen
ſeyn des H. Geiſtes. Welcher Teuffel hat uns denn ver-
blendet/ daß wir die Warheit und das Ding an ihm
ſelbſt/ wieder auff die Zeichen wenden.

78 Quid ergo dicendum? Hoc: tolerari poſſe templa,
aucto eorum numero qui Chriſtianam religionem profi-
tentur, cum neceſſe ſit vt conuenire omnes poſſint: Hic
autem

Digitized by Google

autem præcauendi ſunt errores communes, quorum potiores recenſebimus. Et (1) quidem error eſt, templa eſſe ſan- 81
cta, & maiori veneratione digna quam alia ædificia. Quorſum & multum contulit diſpoſitio iuris ciuilis templa eſſe ſacra, & commercio hominum exempta, etiamſi nullus cultus in iis amplius habeatur; Cuius ratio partim ex ſuperſtitione gentilium, partim ex papatu eſt. Recte iterum Lutherus *Tom.Ien.G.IV.fol.190.a.* Kein äuſſerlich Ding hilfft oder fördert uns für Gott/ dennoch müſſen wir äuſſerliche Dinge halten/ als daß man einen Ort wehlet/ da man Gottes Wort prediget/ und die Sacrament handelt. - - Alſo iſt die Kirche nichts beſſer denn ein ander Hauß. Vnde (2) er- 82
ror eſt, quando loca veteris teſtamenti, quæ de templo Salomonis, imo & tabernaculo Moſaico agunt, vbi Deus in ſanctiſſimo reuera ſe reuelauit, ad noſtra templa applicantur, iuxta communem formulam: Demnach wir mit einander verſamlet in dieſem Gottes-Hauſe und an dem heiligen Ort/ wo GOttes Ehre wohnet/ wo er zu uns kommen und uns ſegnen will &c. Iam vero diuerſitatem templi Salomonei & noſtri ante oſtendimus. Equidem non ne- 83
go in templis præſentem Deum eſſe, & nos viſitare ac exaudire preces, ſi omnia rite & Chriſtiane fiant, ſed error eſt, hoc ad templa reſtringere. Ex quo (3) alius etiam error fluit, 84
quod Deus, verusque eius cultus, includatur muris templi. Quam in rem non poſſumus non iterum adducere ſententiam ſobriam Lutheri Kirchen Poſtill/ am Tage der Kirchweyhung. vbi hæc verba habet: Kirchen und Tempel muß man haben/ daß wir Gottes Wort darin hören/ und die Sacrament handeln/ aber das iſt ein närriſch Werck/ daß wir meynen wir haben GOTT ein Hauß gebauet/ daß er uns hören wolle eben in dem Tempel/ und nicht an andern Orten auch. Wir ſollen GOTT dancken/ daß er uns Erhörung zugeſaget hat an allen Enden/ aber

Digitized by Google

wir wollen den weiten Tempel Gottes in ein enges Ort
bringen / und Gott mit einem kurtzen Ende fahen / den
Himmel und Erde nicht kan begreiffen : Wehe dir du
85 ſchändlicher Unglaube. Alios errores hic non recenſebi-
mus, cum facile prudentiores eos ſint agnituri. Agnouit
hoc Lutherus, quomodo omnia ad idololatriam ſuperſtitio-
nemque vergant, hinc emphatica & ex iuſto dolore & Zelo
prouenientia verba ſunt, quæ leguntur, In der Kirchen-
Poſtill/über die Epiſtel am St. Stephans-Tage: Es wä-
re beſſer/ daß man alle Kirchen und Stiffte in der Welt
auswurtzelte/ und zu Pulver verbrennete/ wäre auch
weniger Sünde/ wenns auch iemand aus Frevel thäte
(quæ vltima verba, comparatiua quidem, tamen noſtra non
facimus) denn daß eine einige Seele in ſolchen Irrthum
verführet und verderbet wird. Denn GOtt hat nichts
von Kirchen / ſondern allein von den Seelen gebothen/
welche ſeine rechte eigentliche Kirchen ſind. Et poſt aliqua:
Ich ſage noch: Es wäre gut/um ſolches Irrthums wil-
len auszutilgen / daß man alle Kirchen einmal in aller
Welt umkehrete / und in gemeinen Häuſern/oder unter
dem Himmel predigte/bethete/täuffete/und alle Chriſtli-
che Pflicht übete. Sintemal auch die angezeigete Urſache
Kirchen zu bauen eine ſchlechte Urſache iſt.- Vbi in ſequen-
tibus exemplum Chriſti, Ioannis Baptiſtæ, Apoſtolorum Phi-
lippi, Pauli adducit, qui vbiuis locorum verbum Dei prædi-
86 carunt. Non ægre ferat beneuolus lector, quod tot loca ex
Luthero adſcripta ſint, ſunt adhuc plura quæ tacemus; in-
terim abuſus eſt manifeſtus, & errores ſunt conſpicui, vt o-
mnino par fuerit, obſeruationibus tam vtilibus aliquod ſpa-
tium concedere.

87 A templis ipſis progredimur ad eorum ornamenta, tam
externa, quæ in ſtructura magnifica, quam interna, quæ in
imaginibus variis conſiſtunt. Vbi ſane leui opera oſtendi
poteſt

poteſt, hunc luxum approbandum nullo modo eſſe. Eſt 88
enim hic modus comandi & ornandi templa (1) ſuperfluus, cum & in templis, quæ omni ornamento deſtituuntur, conuenire populus poſſit (2) nihil plane facit ad emendationem, quin potius (3) plenus ſuperſtitionis eſt, & ad ſuperſtitionem alios inducit, & ſic per ea, quæ ſupra ad Regulam II. III. & VII. dicta, non tolerandus ſed abrogandus. Imo ſi 89
rem ſine præiudicio conſideremus, eſt etiam contra regulam I. dum iſtiusmodi ornamenta externa templorum indolem eccleſiæ noui teſtamenti plane non ſpirant ; vt adeo imperitiam ſuam hac in re profiteantur, qui pro defenſione iſtorum ornamentorum ad templum Hieroſolymitanum prouocant. Quorſum pertinet locus elegans Hieronymi, re- 90
latus in ius Canonicum *Can. 71. Cauſ. XII. qu. 2.* vbi in medio hæc verba leguntur: *Multi ædificant parietes, & columnas eccleſiæ ſubtrahunt, marmora nitent, auro ſplendent laquearia, gemmis altare diſtinguitur, & miniſtrorum Chriſti nulla electio eſt. Neq; vero mihi aliquis opponat diues in Iudæa templum; menſam, lucernas, thuribula, patellas, ſcyphos, mortariola, & cetera ex auro fabrefacta. Tunc hæc probabantur a Domino, quando ſacerdotes hoſtias immolabant, & ſanguis pecudum erat remiſſio peccatorum: quanquam hæc omnia præceſſerint in figura, ſcripta autem ſint propter nos, in quos fines ſeculorum peruenerunt. Nunc vero, cum paupertatem domus ſuæ pauper Dominus dedicarit, portemus crucem, & diuitias lutum putemus.* Cœperunt imagines 91
in templis ſuſpendi ſeculo IV. tempore Conſtantini M. vti ex Epiphanio *Epiſt. ad Ioh. Hieroſol.* conſtat. Vbi non improbabile eſt, pariter hunc ritum a gentilibus hauſtum, &, ne templa Chriſtianorum deteriora aſpectu ſint, quam templa gentilium, introductum eſſe. Sane excuſandus eſt Caroloſtadi- 92
us, quod omnimodo imagines ex templis tolli voluerit, viderat enim abuſum, nouerat ſtatim poſt primum decalogi præceptum, omnia ſculptilia & pictas imagines prohiberi.

Digitized by Google

93 Neque Lutherus re ipſa ab eo diſſentiebat, ſed tantum modum taxabat, quod hoc fecerit priuata autoritate, & ex neceſſitate legis Moſaicæ, vti conſtat ex iis quæ reperiuntur *in Tom. Ien. Lat. III. fol. 96.* vbi ita concludit: *Quamquam & ego imagines non admodum amem, & vellem in templo non ſtatui. Non quod ſolum hoc ſpectem, quia adorentur, quod rarius accidere puto, ſed quod fiducia operis in pretio & ſpecie earum ponitur, quaſi illo opere aliquid obſequii Deo præſtetur, cum interim perdatur ſumtus, & totum quod iſtis impenditur, in meliores vſus pro fratrum neceſſitate impendendum. Alias leui pictura imagines, priuata in domo, non poſſum damnare. Sed hanc cauſam, quia alii aſſignarunt, Prophetæ furioſi ſeſe in hoc nullam gloriam conſecuturos vident, fingunt neceſſitatem legis aduerſus libertatem Spiritus, quod ferendum nullo modo eſt.* Conſentit ergo Lutherus tollendas eſſe imagines ex templis, ſed non ex neceſſitate le-
94 gis Moſaicæ. Sane ratio a Luthero allata, quod ſcilicet pecunia melius impendi poſſit, ſola ſufficere poſſet, ad demonſtrandam iniquitatem huius rei. Omnia loca repleta ſunt pauperibus, & nos pecuniam in res tam inutiles erogamus, ac ſi iam omnium indigentiæ eſſet proſpectum. Vbi non poſſum non adducere verba eiusdem Lutheri **Kirchen-Poſtill am Tage der Kirchenweihung** p. m. 220. **Laſt uns den Abgott und den Götzen mit Menſchen Händen gemachet nicht ſo hoch erheben/ Gott darff unſer Güther noch unſer Geſchmucks nichts. Aber wir kehrens geradeum/ was wir den lebendigen Tempeln thun ſolten/ das legen wir an den todten Tempel/ darum iſt kein Wunder/ weñ gleich der Donner mehr in die Kirchen deñ in die Frauen-Häuſer ſchlägt**/ &c. Non incongrue huc quoque applicari poteſt, quod habet Hieron. *in Ep. ad Gaudentium T. 1. p. m. 65. E. Auro parietes, auro laquearea, auro fulgent capita columnarum, & nudus atq; eſuriens ante fores noſtras Chriſtus in paupere mo-*
95 *ritur.* Vnicum reſtat dubium vt remoueamus, ſcilicet, proficere

ficere picturas & imagines maxime, vt hiſtoriæ ſacræ inde hauriantur, inſuper eas quoque interdum occaſionem dare bonis cogitationibus. Sed hæc ratio eſt inuentum pa- 96
patus, nam in ſexta Synodo, quæ Conſtantinopoli habita eſt, ſtatutum fuit, *vt imagines ſacræ diuorum in templis haberentur, magnaq; veneratione colerentur, vtpote quæ imperitioribus loco ſacrarum litterarum forent, ad quas etiam Romanorum ritu thus & cerei incenduntur*: vt verba ſunt Polyd. Vergil. *tr. de Inuention. rer. l. 6. c. 13.* Deinde bonæ cogitationes iſtæ, ſi non ſolidius fundamentum habent, non multum operabuntur in anima, ſed facile iterum tranſibunt, hiſtoriæ ſacræ rectius ex ipſis fontibus & ſacris litteris hauriuntur, quæ in omnium manibus ſunt. Vnde etiam in or- 97
dinatione Brunſuicenſi D. Pomerani ſupra *n. 55.* citata, retineri quidem poſſe picturas, quæ ſacras hiſtorias repræſentant, ſed rectius ex Bibliis, quæ iam etiam plebeii legere poſſunt, percipi, aſſeritur: improbantur autem ſtatuæ Apoſtolorum ex truncis ligneis, quæ idolis paganis haud abſimiles eſſe dicuntur: referente B. Dn. a Seckendorf. *Hiſtor. Lutheraniſm. l. 3. Sect. 27. §. 109. p. 450. n. 13.* Qua occaſione iu- 98
dicandum relinquo omnibus, qui liberi adhuc ſunt a præiudiciis, annon ſculptilia illa Chriſtum crucifixum vulgo repræſentantia, die Crucifixe/cum idolis paganis plerumque in effectu conueniant? Et tamen vulgus his rebus adhæret, imo non vulgus tantum, ſed ipſi quoque ſacerdotes. 99
Rem hanc exemplo declaro: Triennium circiter præterlapſum eſt, cum in pago quodam templum renouaretur, & eiusmodi ſtatua lignea Crucifixi, cuius deformitas maior eſſe non poterat, auferretur; paſtor illius loci in autores, tanquam in inimicos crucis Chriſti, inuehebat acerrime, applicans huc locum *Phil. III. 18.* vnde etiam vulgus commotus eſt conqueri, Deum ablatum eſſe (Se hebben uns unſen leven Here GOtt wegenommen.) Vnde luce meridiana

ridiana clarius eſt, quantam ſuperſtitionem excitent imagines in templis, maxime ſi imprudentes accedant defenſores. Plura exempla fere paganæ ſuperſtitionis adduci poſſent, ſi non exempla eſſent odioſa.

100 Non inutile etiam foret, de *turribus* iſtis excelſis quæ templis imponuntur, quædam addere, ſed cum grauiora reſtent, breuibus dicimus, vſum earum nullum eſſe, aut ſi aliquis vſus fingi poſſit, hunc ad eccleſiam tamen non ſpectare: videntur potius magna eſſe teſtimonia, nos adhuc inter Ba-
101 bylonios viuere. Quid opus eſt tot impenſas facere in rem nullius aut minimi vſus? Annon pecunia melius impendi poſſet? Et tamen reperiuntur iſtiusmodi abſurdi homines, qui aliis perſuadere conantur turres exſtrui *in gloriam Dei;* hinc non raro qui ad exſtructionem turrium contribuunt, a pſeudo-prophetis etiam ex ſuggeſtu ſacro in cælum extolluntur, quod tam eximie gloriam Dei promouerint, quod in nouiſſimo die ipſis in gloriam aliquando ceſſurum ſit, alii vero, qui nihil ad Babylonica hæc ſigna contribuunt, damnantur.

102 Nunc ad *Campanas* progrediendum, quibus ſignum dari ſolet die dominico, quo tempore homines conuenire
103 debeant. Quod ad originem Campanarum pertinet, certum eſt, in primitiva eccleſia non fuiſſe adhibitas, ergo ſequioribus temporibus primum introductæ. Originem earum arceſſunt demum ex ſeculo VII. poſt Chriſtum natum, quo tempore Sabinianus, peſſimus Pontifex, earum vſum in templis & cultu publico primus adhibuiſſe dicitur. vid. Polydor. Vergil. *l. 6. de Inuention. Rer. c. 12.* Onuphrius
104 *in Sabin.* Quicquid vero ſit de origine, (a qua tamen haud raro, quid de re ipſa ſentiendum ſit, iudicari poteſt,) hoc certum eſt, ritum hunc, pretioſiſſimis campanis ſignum dare cultui publico, variis ex cauſis improbandum eſſe, non ideo, quod non ſignum dari poſſit publice, ſed quod præ-

ciſe

ciſe hoc campanis fieri debeat. Eſt enim (1) hoc ſuper- 105
fluum, & ſic merito ab eo abſtinendum : ſupra *n. 31. ſeqq.*
cum publico ſigno plane non indigeat, ſi certum tempus
cultui deſtinatum, ad quod cognoſcendum horologia ſunt
vbique. Sed nec (2) vtilitatem vllam præſtat res tantos 106
ſumtus exigens, qui omnino in vſus magis neceſſarios adhi-
beri poſſunt. Quin potius (3) ſuperſtitio quæ hic locum 107
inuenit, manifeſta eſt, dum non modo in papatu baptizari
coeperunt campanæ Seculo X. autoritate Ioannis XIII.
Pontificis, vid. Baron. *ad Ann. 963. n. 13.* ſed & apud nos non 108
parum ſuperſtitionis ſupereſt. Annon vulgo creditur a ple-
risque etiam quibusdam clericis, ſonitum illum cam-
panarum in honorem Dei tendere? Sane hæc cauſa eſt,
quod in feſtis maximis omnibus campanis in ciuitate ſi-
mul vti ſoleant, aliter quam in feſtis minoribus : quod an-
non ſignum ſuperſtitionis ſit, facile omnibus iudicandum
relinquimus. Vt nihil nunc addamus de illo immenſo fa- 109
ſtu qui cum campanis committitur circa ſepulturam mor-
tuorum, vbi prærogatiua in eo ponitur, vtrum quis cum
pulſu omnium campanarum ſepultus ſit, an ſecus; vt adeo
pro inſtrumentis ſuperbiæ vt plurimum inſeruire tenean-
tur campanæ.

Signo autem die Sabbathi per campanas dato, currunt 110
homines in templa, vbi quid porro agatur videbimus, &
primo quidem de muſica eccleſiaſtica dicendum, cum in
multis locis homines in templo primum cum magno ſtrepi-
tu organi muſici, ſeu pneumatici, vulgo die Orgel/excipi &
ſalutari ſoleant. Sed hic circa ipſum hoc inſtrumentum 111
non hærebimus: notum eſt hoc a pontificiis introductum,
& male in noſtris eccleſiis retineri. Sufficiat adduxiſſe ea
quæ ſcripſit Theophilus Groſsgebauer in der Wächter-Stimme *Cap. 11. p. m. 205.* Und damit das Volck unter deſſen in der Verſamlung etwas zu ſehen und zu hören

 hätte/

hätte/ hat ihm der Pabſt an ſtatt der Pſalmen/ höllzerne/ zinnerne/ bleyerne Pfeiffen auffhengen/ welche ein groß Gethön machen/ und/ als wañ Gott damit gelobet werde/ die Leute überreden laſſen. Und ſind ſolche Orgel-Pfeiffen nichts anders als lebendige Bilder des erſtorbenẽ Chriſtenthums/ welche zwar hefftig plern und ſchreyen/ aber weder Hertz/ noch Geiſt/ noch Seele haben. Damit hat er das Volck ſtuñ und taub gemacht/ daß ſie weder Gott loben köñen/ noch ſein Wort verſtünden; ſondern durch der Orgelklang und das prächtige ſeltſame muſiciren übertäubet/ zur Verwunderung gezogen/ und an den Ohren geküzelt würden. Der Weltberühmte Mönch Thomas von Aquino, welcher um das Jahr 1270. geſchrieben hat/ zeuget *c.2.qu.91.a.2.* Daß der Orgelklang zu ſeiner Zeit noch nicht iſt in die Kirche eingeführet geweſen. Et ho-
112 die tamen vix in pagis templum exſtruitur, vbi non in hanc rem magnæ impenſæ erogantur, quaſi Deus in ſtrepitu, & non in ſpiritu & veritate colendus eſſet. Conf. Paul. Voetius *de Polit. Eccleſiaſt. P.1.2. tr.2. c.3.* Quo ipſo non tam reſpicimus ad qualecunque illud adminiculum thoni præeundi, quod tolerari poſſet, quam ad muſicam illam ſtrepiferam, & tu-
113 multuariam, extra vſum hymnorum totius eccleſiæ. Cum autem de ſingulis inſtrumentis muſicis hic agere prolixum foret, de toto concertu muſico, in templis vſitato, hic tantum
114 in genere quædam adiicienda. Originem autem muſicæ in templis frequentatæ petendam eſſe ex gentiliſmo, facile demonſtrari poſſet, ſi operæ pretium videretur. Conf. interim Voetius *d.c.3.§.3. in pr.* vbi hunc morem a Gentilibus ad
115 Iſraelitas fuiſſe derivatum aſſerit. Poſtea a Pontificibus muſicam inſtrumentalem introductam eſſe, tanquam medio optimo demulcendi aures plebis, & eos ſub iugo retinendi conſtat: a quibus temporibus ad noſtras quoque eccleſias hunc morem eſſe propagatum, nemo negabit ſobrius.

Digitized by Google

us. Certe ex primitiua eccleſia ad nos translata muſica ec- 116
cleſiaſtica non eſt,ignorabant enim tum temporis hunc ſtrepitum in eccleſiis,quem & cum vero Dei cultu,qui in quiete animæ inſtituitur, non conuenire exiſtimabant. Inde Chryſoſtomus *in Pſalm. 144.* in veteri teſtamento inſtrumentis opus fuiſſe, nunc ipſo corpore vti poſſe Chriſtianos, atque ſi omnia membra vnanimiter faciant, quod ad gloriam Dei pertinet, hanc optimam futuram fuiſſe harmoniam & muſicam. Quo & pertinent verba Thomæ de Aquino quæ adducit Großgebauer. *ſupra cit. loc.* Conf. Io. Bona *de Pſalmo-*
dia. Quid ergo de his reliquiis papatus dicendum, an iſte 117
ritus probandus? minime vero, ſi res ſecundum principia ſuperius tradita examinanda: eſt enim conſuetus hodie ritus muſicæ eccleſiaſticæ, Kirchen-Muſic, (1) contra indolem eccleſiæ noui teſtamenti, nec exemplo primitiuæ eccleſiæ conueniens (2) ſuperfluus, (3) inutilis, cultum diuinum non promouens, ſed impediens, & (4) ſuperſtitioſus, dum homines hoc modo gloriam Dei promoueri poſſe, falſo ſibi imagi-
nantur. Hæc qui non perſuadere ſibi poteſt, conſideret modo 118
theatralem illam muſicam, quæ hodie in templis exercetur. Permittat B. L. vt hac de re locum ex Theophilo Großgebauer adducamus, qui *cit. l. p. m. 209.* cum approbatione Facultatis Theologicæ Roſtochienſis, ita ſcribit: Gleich wie die Welt nun nicht ernſthafftig iſt/ſondern leichtſinnig/und die alte ſtille deuotion verlohren hat: alſo ſind uns Geſänge aus Welſchland in Teutſchland zugeſchickt/ worinnen die Bibliſchen texte zerriſſen/und durch der Gurgel geſchwinde Läuffte in kleine Stücken zerhacket werden: das ſind die Quintilirer Amos VI. 5. welche wie die Singvögel die Stimme ziehen und brechen können. Da gehets daß an ein ehrgeitziges zuſammen ſchreyen -- Da ſitzet der Organiſt/ſpielet und zeiget ſeine Kunſt: daß eines Menſchen Kunſt gezeiget werde/ ſoll die gantze Gemei-

meine Jeſu Chriſti da ſitzen und hören den Schall der Pfeuffen/ darüber wird die Gemeine ſchläffrich und faul: Etliche ſchlaffen; etliche ſchwatzen; etliche ſehen dahin ſichs nicht gebühret; etliche wollten gerne leſen/ können aber nicht - - Etliche wollten gerne beten/ werden aber durch das Sauſen und Gethön ſo eingenommen und verwirret/ daß ſie nicht können. Bißweilen gehets gar auff den Sprung/ und ſo ein Ungläubiger in unſre Verſamlung kähme/ würde er nicht ſagen/ wir hielten Schauſpiele/ und wären zum theil unſinnig. Vnde Eraſmus *in annot. ad 1. Cor. XIV.* aſſerit: *Talem ſe non opinari in Gregorianis vel Romanis Theatris, vnquam auditam fuiſſe (muſicam) omnia enim tabulis, fiſtulis, ſambucis perſtrepere. Hic autem exoptatiſſimus metricæ cantionis & inſtrumentalis muſicæ vſus, quando canentem reddit ſpiritualem, quando mens, affectus, voluntas, & vita, cum cantilenæ contentis concordant, & vox in Dei laudem eleuatur?* Cui iungo locum Hieronymi, relatum in ius Canonicum *Can. I. Diſtinct. 92. Deo non tam voce, quam corde canendum: nec in tragœdorum modum guttur & fauces dulci medicamine liniendæ ſunt, vt in eccleſia theatrales moduli audiantur & cantica;*
119 *ſed in timore, in opere, in ſcientia ſcripturarum.* Vnicum dubium tantum remouendum eſt, ſcilicet, haud raro iſtiusmodi muſicam excitare ſpiritus ad maiorem deuotionem & mouere affectus, maxime in infirmis & plebeiis, & ſic poſſe per indirectum facere ad emendationem: Verum ſi muſica eſſet medium augendi deuotionem & excitandi affectus, male fecerunt Apoſtoli, quod hoc medium Chriſtianis commendare neglexerint: Deinde non puto veram deuotionem excitari muſica. Senſus mouet, ſed ipſum cor non ingreditur, nec veros affectus tangit. Quin potius vera deuotio ſilentium amat. Elegantiſſime Lutherus. Wenn in dieſem Tempel (im Hertzen) Kirchweihung iſt/ da klinget man nicht mit Klocken noch Cymbeln/ da pfeifft man nicht auff der Orgel/

da

Digitized by Google

da höret man keine Schalmeyen/ da ſtecket man keine Fahnen zum Thurm aus/ ſondern das iſt ein verborgener Tempel/ der dem Heiligen Geiſt allein bekandt iſt/ davon weder Menſchen noch Teuffel ichtes wiſſen/ allein GOtt ſiehet auff dieſen Tempel/ der da alles ſiehet in dem Verborgenen; denn GOtt will der Welt nicht laſſen wiſſen/ wenn er bey ſeiner Braut ſchläfft. Kirchen-Poſtill/ Predigt von der Kirchweihe/ *p.m. 217.*

Noſtram ergo ſententiam de muſica eccleſiaſtica vt 120
in vno conſpectu in genere exhibeamus, primo dicimus, muſicam inſtrumentalem ſolam, veluti organicam, omnino perperam adhiberi in templis: deinde inſtrumentalis & vocalis ſimul pariter eo caſu reiicienda, ſi verba intelligi non poſſint, veluti ſi magno clamore omnes canunt, vel propter multitudinem inſtrumentorum verba intelligi nequeant, vel ſi textus in latina & alia peregrina lingua canatur. Vid. B. Brunneman. *de Iur. Eccleſ. l. 1. c. 6. m. 8.* §. 4. Quodſi ergo vocalis ſit muſica, & in germanico idiomate vnius voce aliquid, quod ad deuotionem excitandam aptum, canatur, tum permitti poteſt, etiamſi quædam inſtrumenta voci iungantur. Interim tamen, & hic caute 121
procedendum, & potius finitis ſacris eiusmodi muſica permittenda, non facile durante cultu, vbi tempus orationibus, hymniſque eccleſiaſticis, & prædicatione verbi, conſumendum eſt.

Nunc pergimus ad cantiones totius eccleſiæ, ſeu 122
hymnos, vbi circa originem non erimus occupati, cum ſufficiat in confeſſo eſſe, vſum hymnorum etiam tempore Apoſtolorum fuiſſe, qui propterea ad canendos hymnos alliciunt Chriſtianos *Col. III. 16. 1. Cor. XIV. 26. Epheſ. V. 19. Iacob. V. 13.* eumque ritum conſtanter in eccleſia Chriſti eſſe conſeruatum. Non inutile hic eſſet aliquantum accura- 123
tius indagare morem canendi in primitiua eccleſia vſitatum,

tum, vbi partim omnes ſimul, partim in duos choros di-
uiſi, certatim Wechſelweiſe cantabant, & ita ſuauiſſima har-
monia ſe inuicem ad laudes diuinas excitabant. Sed hoc
plenius excutere ratio inſtituti nunc non permittet. Conſ.
interim Euſebius *Hiſt. Eccleſ. l.2. c.17. l.5. c.28.* Plin. *lib.10.ep.*
97. Caue *P.1. c.9.* Baſil.M. *Epiſt.63. ad Cler. Neo-Cæſ.* aliique;
124 Neque animus eſt, prolixe contra eos diſputare, qui vſum
omnem hymnorum reiiciunt, tanquam incongruum in
eccleſia; his enim alii reſponderunt, ceu & exemplum pri-
125 mitiuæ eccleſiæ iis conſtanter aduerſatur. In eo tantum
occupabimur, vt oſtendamus abuſum, qui in eccleſiis no-
ſtris circa ritum hunc optimum frequens eſt, vt hunc tolla-
mus e medio, omniaque etiam hoc caſu ad ædificationem
126 dirigamus. Eſt autem (1) ab aliis iam annotatum, male
introductas eſſe cantilenas alias, neglectis Pſalmis Dauidicis,
cum tamen olim magno in pretio fuerint habiti in primiti-
ua eccleſia, & vix nouis illis hymnis tanta inſit grauitas, de-
uotio & vtilitas, quam Pſalmis Dauidicis. B. Brunneman. *de*
127 *Iur. Eccleſ. l.1. c.6. m.8. §.2.&3.* Nos quidem fatemur melius
eſſe, loco multorum hymnorum receptorum, qui ſine ſpi-
ritu conſcripti ſunt, Pſalmos Dauidicos introducere, ſed
optandum etiam eſſet populum eodem ſpiritu, quo conſcri-
pti ſunt pſalmi, illos canere poſſe: Deinde non propterea
omnes alii hymni reiiciendi, ſed ſelectus tantum inſtituen-
128 dus. Quid (2) de hymnis latino idiomate conſcriptis & in
multis locis ad huc vſitatis dicendum ſit, me etiam tacente
apparet: quæſo quam deuotionem excitare poſſunt in ani-
mis eorum, qui ignari ſunt linguæ latinæ, quorum plerique
ſunt. Confer. B. Brunnem. *Iur. Eccleſ. l.1. c.6. m.8. §.4. & 7.*
Quiſtorpius *in piis deſideriis c.4. p.25.* Dn. Spenerus Theolo-
giſ. Bedencken *P. I. c.2. art.4. Sect.31.* Vbi plura hac de re.
Huc etiam referendus hymnus: *In dulci iubilo*, qui, ſi in ſpi-
ritu & veritate canatur, eſt prorſus egregius, interim pleri-
que

que non intelligunt verba, & tamen totus cœtus, maſculini & feminini ſexus, magno clamore rem ignotam canit, an hoc gratum Deo eſſe poteſt? Si dixeris, latinos hymnos 129
non propter plebem ſed propter eruditos eſſe introductos: reſpondeo, hoc perperam fieri, magis infirmorum in templis & rudium, quorum maior eſt numerus, quam eruditorum, habendam eſſe rationem: poſſunt eruditi domi cantare quid velint, in templis nihil admittendum, quod non ad vſum omnium tendat. Referendum 130
quoque (3) inter abuſus, quod in toto cœtu nimis ſæpe hymni canantur, quos pauciſſimi, & interdum vix tres, ex vero ſenſu canunt: v. g. **Jeſu meine Freude. Meinen Jeſum laß ich nicht.** &c. qui toti agunt de pleniſſima abnegatione mundi & ſui ipſius, hos hymnos dum canit populus, annon plerique Deo in faciem mentiuntur? Melius itaque eſſet in publicis cœtibus tales hymnos rarius canere & non ſine præmonitione, vt plurimum vero tales, quibus aliquid a Deo precamur. Optimum eſſet, ſi vt in primi- 131
tiua eccleſia, diuerſos haberemus cœtus, ceu inferius dicetur, ſic enim pro ratione cuiusuis cœtus, hymni quoque ſeligi poſſent. Quibus & (4) addendum eſt, quod in plerisq; 132
locis ſingulis diebus Sabbathi & feſtis, certis vtantur hymnis, ab antiquis temporibus vſitatis, a quibus recedere nulla ratione volunt, etiamſi meliores in eorum locum ſubſtitui poſſint. Cum tamen eiusmodi hymnos ſeligere debeant miniſtri eccleſiæ, qui conueniant themati, quod pro concione proponendum eſt. Vnde & hic abuſus proma- 133
nat, quod de natiuitate Chriſti eiusque paſſione, reſurrectione, & aſcenſione in cœlum, hymni non canantur, niſi eo tempore, quo publice eius memoria coli debet in eccleſia, quaſi non omni tempore eius rei memores eſſe deberemus. Vt plures abuſus nunc non addantur, cum facile vnusquisque eos animaduertere poſſit.

Quæ-

134 Quædam tamen adhuc adiicienda ſunt de eo ritu, quo miniſtri eccleſiæ coram altari canunt textum epiſtolarum & euangeliorum. Sane hæc legi diſtincta voce deberent, vt populus audiret. Euangelia & epiſtolæ Apoſtolorum non ſunt hymni, cur ergo inſtar hymnorum cantantur? miror quod non etiam integras conciones & totam ſcripturam ſacram cantent; ſane nullus huius ritus vſus eſt, adeoque in ſimplicitate potius ſubſiſtendum. *vid. ſupra*
135 *n. 47. ſeqq.* Idem iudicium ferendum de modo canendi precationes coram altari. Canit Miniſter: **Laſt uns bethe:**; ſed aliud eſt orare, aliud canere; debebat dicere: **Laſt uns ſingen** / aut ſine canente voce orare; verba
136 enim oportet vt rebus conueniant. Collectæ autem, vt vocantur, quæ latina voce cani ſolent diebus feſtis, approbationem plane non merentur. Huius ritus origo deſcendit ex Canone Miſſatico Gregorii M. Seculo VI. introducti. vid. Gregor. M. *l. 7. p. 64.* Cui, quæſo, vſui hæc ſunt, populus ſtat & admiratur egregie canentem paſtorem, ſed ne verbum quidem intelligit, & quamuis interdum collectæ germanica voce canantur, propter ductiones tamen vocis in canendo ſenſum pariter non percipit: & hæc Deo placere, credunt imprudentes.

137 Cum hic de cantionibus paſtorum coram altari quædam dicta ſint, pauca etiam addenda de variis generibus ornandi & veſtiendi altaria & ſuggeſtus, de ipſis altaribus dicetur infra. Scilicet notum eſt maxime in feſtis maioribus variis veſtimentis ornari hæc loca ſolere! **Die Altäre und Cantzeln werden mit Sammt/ Stoff und dergleichen**
138 **bekleidet.** Quis non animaduertit hæc ex papatu eſſe, vbi clerus perſuadebat populo, pium opus eſſe, ſi ad veſtienda altaria quædam impendantur? Quod haud dubie ideo factum, (1) vt ita bonis ſpolientur laici. (2) vt eo maior ſit autoritas cleri, ſi e tam ſplendido loco verba ad popu-

populum faciat. Igitur ad reliquias papatus pertinet, quod 139
hæc retineamus, quæ tamen plena ſunt abſurditatum. Cur
enim (1.) ornamus altaria & ſuggeſtus diebus feſtis, magis
quam die dominico ſeu Sabbathi, cum tamen feſta ab hominibus
inſtituta ſint, Sabbathum a Deo, vt vulgo creditur? An (2.) locus ille ſpecialiter ſanctus eſt, vt ſingulari 140
honore ſit afficiendus, aut an verbum Dei melius doceri &
ſacramenta efficacius adminiſtrari poſſunt, ex loco multis
ornamentis condecorato. Cur (3.) diebus pœnitentialibus 141
an Buß-Tägen / & tempore quadrageſimali in den faſten /
nigris veſtimentis circumdantur altaria & ſuggeſtus? An
& hæc loca pœnitentiam agere debent, & an viciſſim exultare
poſſunt tempore feſtorum? Annon (4.) voluptuariæ 142
impenſæ ſunt quæ in has res fiunt? Opus ſane eſt vt aliquis
ſit locus vbi ſacramenta adminiſtranda & verbum Dei prædicandum;
ſed non opus eſt, imo vituperandum, quod ſub
hoc prætextu faſtus exerceatur, & ſumtus non in meliorem
vſum impendantur.

Iam ad ſingularia veſtimenta clericorum progredimur, 143
quorum origo haud dubie ex papatu eſt, cum enim
vulgus ex habitu vt plurimum de perſona iudicet,
hinc ſingularibus veſtimentis, grauitatem & ſanctitatem
quandam præ ſe ferentibus, vtebantur, vt ita ſe ab aliis hominibus
diſtinguerent, & magis magisque autoritatem
ſuam & dominatum ſtabilirent. Vnde originem habent
die Meßgewandte / Chor-Röcke / weiſſe Kittel / Kragen / lange
ſchwartze Prieſter-Röcke mit groſſen Ermeln / &c. Sane 144
Chriſtus & Apoſtoli non vſi fuerunt his veſtimentis, neque
in primitiua eccleſia hoc ſingulari veſtitu vtebantur
doctores eccleſiæ, tum enim malebant vita diſtingui quam
veſtibus. Sed poſtea inter prima molimina papatus hoc 145
fuit, vt clerici diſtinguerentur veſtibus, quod iam tempore
Conſtantini M. fieri cœpit. Beat. Thenanus *argum. ad Tertull.*

tull. de Pall. Theodorirus *l. 2. c. 27.* Inuentorem eiusmodi veſtimentorum fuiſſe Stephanum I. Pontificem tradit Polyd. Vergil. *de inuention. rer. l. 6. c. 12.* vbi addit: *nam in exordio ſurgentis religionis ſacerdotes, rem diuinam facturi, nihil ſuperinducere conſueuerunt, quum potius ſeſe intrinſecus, animi virtutibus veſtire, ac vitiis corporis exnere ſtuderent, quam nouos*
146 *ſumere apparatus.* Rationem ſpecialis veſtitus ſumſerunt partim ab ethnicis, apud quos ſacerdotes ſingulari veſtitu vtebantur, partim a Iudæis: nam a Chriſto & Apoſtolis exemplum ſumere non potuerunt. Si ethnicos ſunt ſecuti, impium eſt, ſi Iudæos, ſuperſtitioſum; quis enim ignorat, veſtimenta ſacerdotum in vet. teſt. ad eccleſiam Chriſtianorum non pertinere? Sed ego exiſtimo, ſingulari prouidentia Dei factum eſſe, quod imitentur ſacerdotes Phariſæorum habitum, vt adeo publico conſtet teſtimonio, ſacerdotes noſtros vt plurimum Phariſæos, & cultum noſtrum
147 maximam partem Phariſaicum eſſe. Prudentiores verbi miniſtri veſtitui ſuo nihil quidem ſanctitatis tribuent, vt adeo videri poſſet, incommoda oriri ex vitio perſonarum, non ex re ipſa: verum nec res ipſa talis eſt, vt conueniat indoli noui teſtamenti, vt faciat ad emendationem, nec ſimplicitatem ſapit, ſed potius ſuperſtitionem, vt adeo iuxta regulam 1. 3. 5. 7. hic ritus merito improbandus ſit.
148 Deinde etiam ob vitia perſonarum res tollenda eſt qua carere poſſumus, ſi vitia nimis inhæreant mentibus hominum. Sed quantum huic veſtitui tribuatur, a plerisque etiam ſacerdotibus, ſatis conſtat. Inde ægre patiuntur hunc ritum tolli, ne ſcilicet tollatur ſimul potiſſimum autoritatis ſuæ fundamentum. Vti ſcio aliquando Principem territorii deſideraſſe, vt loco veſtimentorum ſolennium, der groſſen Prieſter-Röcke mit groſſen Ermeln/ palliis tantum vterentur: ſed omni modo ſe oppoſuerunt ſacerdotes, vbi tandem Princeps acquieuit. Ad

mini-

minimum , ſi toleranda ſunt quædam ſingularia veſtimen- 149
ta, abolenda eſſent, die Meßgewandte / vtpote quæ aper-
te ex papatu deſcendunt, & nulli alii fini inſeruiunt, quam
vt comœdiæ in templis agantur, accedente inſuper vario
ornatu altarium. Sane cum pontificiorum ſacrificio Miſſæ
repudium dedimus, omnino fas eſt, vt ſuperſtitioſum Miſ-
ſificorum veſtitum repudiemus. Sicut honeſtæ matronæ
non modo vitam & mores, ſed & habitum meretricum
auerſantur.

Dicendum etiam aliquid de concionibus, vbi ſtatim in 150
claſſem prauorum rituum referimus, quod certi textus ſin-
gulis diebus dominicis deſtinati ſint per totum annum, qui-
bus præciſe inſiſtendum, nec alii textus Biblici explicandi.
Sane in primitiua eccleſia in conuentibus ſuis legerunt to- 151
tam ſcripturam & omnes eius partes, atque populo expli-
carunt. Iuſtin. *Apol. II. p. 98.* Origenes *Homil. 15. in Ioſuam.*
Vsque dum poſtea in medio papatu Seculo IX. certi textus
ex Euangeliſtis & Apoſtolis fuerint ſelecti, in templis popu-
lo explicandi, vnde conſuetudo iſta ad noſtra tempora vsque
fuit continuata. Hunc autem ritum ideo improbamus, 152
quia multa inde naſcuntur incommoda, dum integra ſcriptu-
ra ne quidem populo prælegitur & multo minus explicatur;
nec obſtat, quod domi legere ſcripturas debeant, cum multi
ſint in cœtu Chriſtianorum, qui nec legere nec ſcribere di-
dicerunt. Deinde notum eſt, quam peruerſus modus con- 153
cionandi ex hac ratione ſit introductus, dum mirum in mo-
dum torquentur textus, vt ſingulis annis nouum thema ex
textu proponatur. Hoc etiam modo referta eſt eccleſia im- 154
peritis miniſtris, dum plerique contenti ſunt Poſtillis, &
varragine diſpoſitionum collectarum: cum contra, ſi inte-
gri libri ex ſcriptura S. eſſent explicandi, maiori induſtria &
ſpiritu opus eſſet. Vnde recte Ameſius *Caſ. Conſc. l. 4. c. 26.*
aſſerit, cognitionem Dei magis abundare in illis eccleſiis, vbi

iſto agendi modo relicto, ſcripturæ, partim per integros libros ordine continuato, partim, vt occaſio & neceſsitas aliqua exigit, libere tractantur. Add. Zepperus *Pol. Eccleſ. c. 10.*

155 De ipſo concionandi modo infinita dici poſſent, nos autem omnia in compendio exhibebimus. In veteri & primitiua eccleſia Chriſtiana modum hunc ſimpliciſſimum fuiſſe conſtat, ſine vllo artificio; quod ſine difficultate liquebit, ſi ad exempla Apoſtolorum eorumque ſucceſſorum re-
156 ſpiciamus. Legebantur verba ſcripturæ, & poſtea ſine vllo apparatu, ſine exordio generali & ſpeciali ἄνευ προοιμίου, non certum arteque & ingenio excogitatum thema, ſed res ipſa exponebatur: admonebatur ſtatim populus, inſtruebaturque in doctrina Chriſtiana ſimpliciſſime, vt etiam ab imperitis omnia percipi potuerint. Quæ res innumeris teſtimoniis probari poſſet, ſi id neceſſarium eſſet, & non po-
157 tius omnes hoc fateri tenerentur. Sed hodie omnia corrupta ſunt a capite ad calcem, vt ne ipſum quidem alloquium vt plurimum ſine vitio ſit, dum multi cœtum promiſcue ſanctum appellant: Außerwehlete/ alleſamt Außerwehlete/ Heilige / Geliebte GOttes/ liebe Chriſten ꝛc. vtut pauciſſimi ex cœtu ſint, qui hæc nomina mereantur. Deinde cum ſpiritus, qui loqui debebat ex miniſtris eccleſiæ, deficiat, ad artem confugiunt: interim ne videantur ſine ſpiritu loqui velle, rogant Deum ſtatim in introitu, vt ſpiritu ſuo adſit, quo ſciant quid dicere debeant, cum tamen iam domi memoriæ mandauerint concionem; vt adeo ludibrio habeant Spiritum S. Poſtea in tractatione ſimplicitati ſtudent pauciſſimi, plerique in concionibus ſuam eruditionem oſtendunt. Inde ingenioſiſſimo modo conciones hodie recitantur: accuratiſſimus ordo & proportio obſeruatur in vtroque exordio, tractatione & applicatione: vt ſi artem demas,
158 nihil reliquum maneat. Et quamuis iuſtus ordo rectusque modus tractandi bene tolerari poſſet, tam infinita tamen abſur-

Digitized by Google

abſurda intermiſcentur, quæ non modo nihil faciunt ad emendationem, ſed & turbant homines, & contemtum verbi diuini ipſis inſtillant. Huc pertinent themata illa 159
in partes diuiſa interdum in græca, interdum in latina, interdum in germanica lingua, terminis tamen clappantibus, vt ita loquar, rythmis artificioſis, ſæpe etiam abſurdis (Pritſchmeiſter) concepta: Quibus præmiſſis, initium fit tractationis a prolixiſſima explicatione critica textus, quandoque ſatis clari, vbi græca & hebraica in copia adiiciuntur: poſtea recenſentur diuerſæ Doctorum tam Chriſtianorum quam Rabbinicorum ſententiæ: ſequitur vſus elenchticus contra hæreticos, in quos vehementiſſime inuehunt, quamuis ſæpe nemo ſit in toto cœtu, qui vel nomen illius hæreſeos audiuerit, vel ſciat, quid ſtatuant: Hoc modo vltra horæ ſpatium continuato, poſtea ad vſum pædeuticum, qui primarius eſſe debebat, ſe conferunt, ſed pauciſſimis, quia tempus præterlapſum eſt, & ſtatim cum vſu paracletico deſinunt, ne, ſi forte per Dei omnipotentiam in iſta ſterili concione alicuius conſcientia tacta fuiſſet, homo iſte in deſperationem incidat. Hi ſunt illi Paſtores, 160
de quibus B. Brunnemannus *de Iur. Eccleſ. l. 2. c. 1. m. 1. §. 12.* dicit, quod *parum proficiant eorum conciones; ſemel habitas homilias multoties repetant; & nimis frigidi ſint ac diſcreti, qui magis eccleſiæ Chriſti nocent, quam manifeſto impii. Nam ſi quando impius paſtor variis vitiis ſe polluit, hunc omnes pro impio habent, & ſuperiores facile ipſum ſubmovere a ſuo officio poſſunt. Sed diſcreti, frigidi, & ex concionibus opus operatum facientes, multas animas ſecum in gehennam trahunt.*

Hoc quoque cenſuram meretur, quod conciones fiant 161
ad totum populum, & non diſtinctio animarum obſeruetur, vti factum eſt in primitiua eccleſia, ceu ex Chryſoſtomo & Cyrillo teſtatur Groſsgebauer Wächter-Stimme *cap. 11. p. 198.* Die Alten predigten nicht allein insgemein wie

R 3 wir/

wir / ſondern ſie hatten ihre Gemeine in gewiſſe Claſſes und
Ordnungen eingetheilet ; Anders wurden unterrichtet die
Catechumeni, die noch unerfahren waren / und die Heilige
Tauffe noch nicht empfangen hatten : Eine andere Claſſis
war der Neophytorum , die noch neulich getaufft und er-
leuchtet waren : Eine andere pœnitentium, welche nach den
vorgeſchriebenen Regeln Buſſe thäten. Und nach der Pre-
162 digt wurden Examina angeſtellt. Hoc hodie adhuc ob-
ſeruari poſſet, & deberet, ita vt rudes alibi, alibi infantes &
infirmi, alibi adulti &c. conuenirent, vbi commodius con-
163 ciones pro cuiusuis claſſis conditione fieri poſſent: Quod
ſi publice hoc obtineri non poſſet, dum quisque vellet pro
adulto haberi, poſſet tamen ſelectus hic inſtitui in priuatis
congregationibus, ſi frequenter eas inſtituerent miniſtri
eccleſiæ, vti omnino officii ratio ab iis exigere videtur.
164 Sequuntur poſt concionem preces publicæ, de quarum
abuſu multa dici poſſent, niſi hanc operam iam occupaſ-
ſet B. Brunnem. *de Iur. Eccleſ. l. 1. cap. 6. memb. 6.* vbi oſtendit,
quanta inde naſcantur incommoda, quod ſingulis diebus
dominicis poſt homilias eadem precum formula prælega-
tur populo, quæ cum in conſuetudinem abierit, ſine atten-
165 tione recitatur. Addo & hoc quod plerique miniſtri Ec-
cleſiæ, cum ante ſatis detonare potuerint in concione ſua,
hanc formulam tam demiſſa voce, & tam frigide ſine o-
mni ſpiritu deuotionis legant, vt fere intelligi non poſſit a
populo: vnde & libere interim circumſpiciunt & alia agunt,
166 quaſi iſta ad ſe non pertinerent. Suadet itaque Brunne-
mannus, & recte, vt Paſtores ex homiliis ſuis preces for-
ment, & ita quæ dixerunt, quaſi in actum ſecundum dedu-
cant. Quod omnino magis viuidum eſt, & maiorem de-
uotionem excitat in animis auditorum, eosque inſtruit,
quomodo & ipſi ex proprio corde Deum orare debe-
ant.

Poſt preces publicas etiam annunciari populo ſolet, ſi 167
quis ex numero eorum mortuus ſit, vbi iterum grauiſſimus
abuſus eſt, quod indiſtincte mortui prædicentur beati a pa-
ſtoribus; vbi non poteſt non maximum oriri ſcandalum,
quando ii, quorum vitam peſſimam fuiſſe interdum toti
populo conſtat, tamen, ſi mortui ſint, beati dicuntur. Equi- 168
dem non ſuademus, vt facile etiam quis damnetur, ſed ab
vtroque abſtinendum eſt, & res iudicio & miſericordiæ Dei
relinquenda: ne immaturo iudicio noſtro peruertamus
iudicia diuina. Præſtat ergo ſine addito, an beate deceſſe-
rit an ſecus, populo ſimpliciter annunciare, hunc vel illum
mortuum eſſe.

Antequam vlterius progrediamur, duo verba adden- 169
da ſunt, de illo promiſcuo vſu ſubſelliorum in templis in
vtroque ſexu, **daß Mannes- und Weibes-Perſonen unter
einander und gegen einander über ſitzen.** Notum eſt, quan-
tum peccetur in templis etiam aſpectu & geſtibus inter v-
trumque ſexum, multi non audiendi cauſa & orandi in
templum veniunt, ſed vt videant & videantur: Huc etiam
pertinet vulgatum illud: *Spectatum veniunt* &c. Recte pro- 170
inde Chryſoſtomus *Orat. 16. Tom. VI. Videtur mihi*, inquit,
*mulieris conuictus, VISVS, alloquium, contactus etiam absque nuptiis
ab congreſſu voluptatis habere nonnihil: quæ impura voluptas,
VT A SACRIS PVBLICIS ABESSET, priſci omni ſtudio
contendebant.* Ceu ergo apud iudæos huc vsq; receptum, vt 171
feminæ ſeparatim ſedeant, ne a maſculis conſpici poſſint,
merito idem apud nos obſeruandum eſſet. Sicut Ambro-
ſius *in libello ad virginem corruptam. c. 6.* memorat, in primi-
tiua eccleſia locum fuiſſe tabulis ſeparatum, vbi virgines a
ceteris feminis ſeparatæ orauerint. Et Procopius *l. 1. de æ-
dif. Iuſtin* refert, duplicem porticum in templo fuiſſe, qua-
rum vna viros orantes, altera feminas exceperit. Si Chri- 172
ſtiani omnes eſſent non nomine tantum ſed & re ipſa, his
mediis

Digitized by Google

mediis opus non eſſet, ſed cum viuamus in ſtatu maxime corrupto, omni modo agendum eſt, vt peccatis obuiam eatur.

173 Pergimus nunc ad ritum adminiſtrationis ſacræ cœnæ, qui & diebus dominicis in templis publice peragi ſolet; quod omnino recte fieri putamus, cum conueniat primæ inſtitutioni, vt hoc ſacramentum adminiſtretur in cœtu fi-
174 delium. Illud vero hic in controuerſiam venit, an præciſe vt in templis diebus dominicis quis hoc ſacramento vtatur, adſtringendus ſit, annon etiam vſus eius permittendus in ædibus priuatis, non tantum in caſu neceſſitatis ſi quis ægrotet, ſed & alias, ſi quidam, inter quos etiam vnio fidei & eccleſia eſt, deuotionis cauſa congregati, magno deſiderio hunc cæleſtem cibum, ad ſatiandas eſurientes & ſitientes
175 animas ſuas appetant. Nos omnino vſum hunc liberum eſſe debere, nec ad certum tempus & locum adſtringi poſſe ſine ſuperſtitione, exiſtimamus: quamuis communiter
176 aliter ſentiant. Quæ ſententia noſtra probatur (1.) ex ipſa inſtitutione huius ſacramenti a Chriſto facta, vbi nulla apparet reſtrictio, quin potius ſummam libertatem quandocunque vtendi hoc ſacramento inferunt verba Chriſti: Solches thut / ſo offt ihrs thut zu meinem Gedächtniß. Quod ergo Chriſtus quotiescunque fieri permiſit, ſine determinatione loci & temporis, hoc reſtringere, libertati Chriſtia-
177 næ eſt aduerſum. Sed probatur etiam (2.) hoc, exemplo primitiuæ eccleſiæ. Ita Apoſtoli dicuntur hic & illic panem fregiſſe, hoc eſt, ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti porrexiſſe in ædibus *Act. II. 26.* Quod qui ad templa & conuentus tantum publicos reſtringunt, non poſſunt non vim facere textui ſacro, ne dicam quod manifeſto ſpiritui
178 ſancto contradicant. Quod idem etiam poſt Apoſtolorum tempora obſeruatum & ſacramentum hoc quotidie adminiſtratum eſſe, nemo tam hoſpes in hiſtoria eccleſiaſtica erit, vt

vt ignoret. Vid. Cyprianus *Epiſt. 57. & 58.* Will. Caue Er=
ſtes Chriſtenth. *pag. 354. ſeqq.* Et quamuis in ſequentibus
temporibus etiam mentio fiat, quod Chriſtiani hoc ſacra-
mento die dominico vſi ſint. Iuſtin. Martyr. *Apol. II. p. 98.*
Tertullian. *Apol. c. 39.* non tamen reperitur, illud non aliis et-
iam diebus factum eſſe. Vsque dum tandem frigeſcere cœ-
perit cœtus Chriſtianorum, & dereliquerit primum ardo-
rem, quotidie confortandi fidem & ſe cum Chriſto vniendi,
vbi plane præcipiebatur, vt tantum in maximis feſtis Pa-
ſchatos, Pentecoſtes, & Natiuitatis Chriſti ſacramentum
hoc adminiſtraretur. *Concil. Agath. Can. 18.* Sed & (3.) pro- 179
batur ſententia noſtra ex confeſſione diſſentientium, dum
fatentur, vſum S. cœnæ extra templa in loco priuato per ſe
non eſſe iniuſtum, ſiquidem eum permittunt ægrotis:
quamuis enim hoc non niſi in caſu neceſſitatis permittant,
nulla tamen ratione demonſtrare poſſunt, quod non etiam
extra illum caſum hoc licere debeat, ad neceſſitatis autem
caſum male reſtringitur, quod de genere permiſſorum eſt.
Cui accedit (4.) quod hac ratione, ſi ad templa & dies reſtrin- 180
gatur vſus iſte, non paſcantur animæ, ſed potius torquean-
tur; nullus enim paſtor bonus, ſi videat oues fame & ſiti
premi, & pratum in vicino habeat, differet oues eo ducere,
vt reſtinguere appetitum & corpus nutrire queant: iam
autem viride animarum pratum Chriſtus vbique eſt, &
non templis incluſus, cur ergo cibus & potus non præbetur
iis, qui eſuriunt & ſitiunt? Cui non obſtat, quod tamen in 181
plerisque ordinationibus eccleſiaſticis hoc prohibitum ſit,
hic enim in genere agimus ex principiis veri iuris eccleſiaſti-
ci, ad quorum normam ordinationes particulares dirigendæ
& emendandæ ſunt: ſi ergo hactenus id non fuit permiſ-
ſum, rite iureque facturi ſunt Principes, ſi id in poſterum
permittant, liberumque tanti ſacramenti vſum non reſtrin-
gant, ſed potius ampliorem reddant. Deinde iſtæ ordina- 182

 tiones

tiones eccleſiaſticæ vt plurimum loquuntur de iis, qui faſtus cauſa & propter controuerſias præcedentiæ, ſeu proedrias, aut ex alia praua intentione ſacramento publice vti detrectant: & ſic ad eum caſum non extendendæ, vbi quidam ex vero appetitu ſpirituali vſum eius priuatim deſiderant.

183 Sed redeundum ad vſum publicum huius ſacramenti, ritusque ibi concurrentes examinandi: vbi de confeſſione priuata, von der Beichte / quæritur, an hic ritus neceſſario
184 prærequiratur, ſi quis hoc ſacramento vti velit? Ita autem communiter ſtatuitur, vnde & in templis die dominico ante concionem audiri confeſſiones a paſtoribus ſolent, nec ad-
185 mitti ad ſacramentum, niſi qui prius fuerunt confeſſi. Sed nos hic iterum aliter ſentimus. Vtut enim tolerari poſſit confeſſio priuata coram paſtore, ſi omnia rite & ordine fiant, & abuſus abſit, interim tamen negamus ex eo ſolo ab vſu S. cœnæ aliquem arcendum eſſe, quod confeſſionem omiſerit.
186 Quod vt probetur, ſufficit ſolum exemplum Chriſti, qui ſacramentum hoc inſtituendo, non præcepit, vt prius confeſſio priuata coram paſtore præcedat, neque ipſe prius confeſſiones diſcipulorum ſuorum audiuit, ſed ſtatim ipſis dedit ſacramentum. Nec Apoſtoli id vllibi vrſerunt in epiſtolis ſuis, nec in primitiua eccleſia hic ritus primis temporibus fuit obſeruatus, qui tamen negligi non potuiſſet, ſi fuiſſet
187 neceſſarius. Sed vt hic breuibus nos expediamus, opponimus aduerſariis locum Lutheri *T. 1. Alt. fol. 705.* vbi, dum de vſu confeſſionis priuatæ diſſerit, ita pergit. Wiewohl es nicht gebothen ſoll werden / auff daß man nicht ihme ein Gewiſſen mache / als müſſe man zuvor beichten / ehe man zum Sacrament gehe. Denn es iſt kein göttlicher Befehl / ſondern eine Menſchliche Einſetzung und adiaphorum, welche Dinge aber zur Laſt der Gewiſſen nicht werden ſollen. Alia loca
188 vide *in Diſſ. de iure liciti ſed non honeſti c. 3. n. 132.* Vti etiam alibi ſatis reprehendit Lutherus illam coactionem in Pontificiis

ciis, cauſamque reddit, cur adeo compellant homines ad
confeſſionem: Wenn wir nun wiederum fragen/ warum
denn ſie ſo gerne Beicht hören/ und die Beichte alſo preiſen/
ſo findet ſich die redliche Urſache der H. Beicht-Pfenning/ der
groſſe Nothhelffer/ wenn der thät/ daß ſie nicht des Bauchs
fürchteten/ er möchte verſchmachten/ ſo ſolteſtu wol ſehen/ daß
Beichten weder Noth noch Geboth wäre/ aber auff daß der-
ſelbe Zinß nicht abgehe/ darauff ſo viel Bäuche und Maſt-
Säue in den Klöſtern geſtifftet ſind/ muß die Beichte von
GOtt gebothen ſeyn/ und ein Geſchrey unter uns erhebet
werden/ daß die H. Diener des Bauchs und das zarte
Freß-Volck durch die Beichte unſer armen Sünder See-
ligkeit ſuchen &c. *Tom. I. Ien. Germ. fol. 558.* Loquitur Lu- 189
therus de clero pontificio, ſed vtinam idem ad clerum no-
ſtrum applicari non poſſet: Fiat modo periculum, & pro-
hibeatur hic illicitus cenſus a Principibus, & aliunde ſala-
rium miniſtrorum eccleſiæ ſuppleatur, vt habeant, de quo
viuere poſſint: videbimus, quam cito recurſuri ſint ad ſa-
niora principia libertatis Chriſtianæ. Sed etiamſi hoc non
fiat, hæc coactio tamen per ſuperius tradita omnino illicita
eſt, & principiis euangelicæ religionis non conueniens.
Laudanda hic eapropter eſt conſtitutio prouincialis De-
renburgenſis, qua hoc modo abrogatus eſt nummus con-
feſſionarius: wegen des Beicht-Pfennigs bleibt es ebenfals
bey bißheriger Anſtalt/ daß derſelbe nach verrichteter An-
dacht im Herausgehen/ von denen die etwas geben können
und wollen/ auff den kleinen Altar hingegeben/ und in
gleichen Portionen unter die beyden Prediger getheilet
werde. Und weil hiedurch denen Predigern an ihrem nö-
thigen Unterhalt ein ziemliches abgehet/ ſo haben Se. Chur-
Fürſtl. Durchl. gnädigſt reſolviret/ einem jeden von ihnen/ an
deſſen ſtatt 25. Thl. zu ihrer Subſiſtenß Jährlich zahlen zu laſ-
ſen. Churſ. Brandenb. Verordnung wie es in der Stadt

Digitized by Google

und Herrſchafft Derenburg in dem Kirch-Weſen gehalten werden ſol. §. X.

190 Quod ergo actum ipſum ſacramentalem concernit ad *Altare* accedunt conuiuæ, quoniam ibi diſtribui ſolet ſacramentum; vbi ſtatim ſe offert quæſtio, an laudandus ſit ritus, quod adminiſtratio ſacramenti fiat coram altari?

191 Nos, vt libere ſententiam noſtram dicamus, hunc ritum approbare non poſſumus. Nam primo ipſa altaria nullam præſtant vtilitatem, & ex papatu deſcendunt, vt ita melius eſſet illa, tanquam partem ſuperfluam, tollere, nec tot ſumtus in erigenda altaria impendere, ceu communiter

192 fieri ſolet. Deinde, altaria plane non conueniunt vſui huius ſacramenti, Chriſtus enim non erat in templo coram altari, cum hoc ſacramentum inſtitueret, ſed menſæ cum diſcipulis aſſidebat, & ita panem & vinum diſtribuebat.

193 Quodſi ergo nos etiam hoc ſacramento vti volumus eo modo quo inſtitutum, quod vtique fieri debebat, loco altarium menſæ ſubſtituendæ eſſent; vti id etiam in primiti-

194 ua eccleſia obſeruatum eſſe conſtat. Vt nunc nihil dicamus de ſumma ſuperſtitione quæ circa altaria concurrit, dum ſingularis ſanctitas & veneratio iis tribuitur. Quod qui negat fieri, is obſeruet, annon Sacerdotes noſtri genua flectant, cum ad altare accedunt: idem facit cuſtos templi: idem faciunt alii etiam homines welche die Kling-

195 beutel herum tragen/ & fere omnes. Annon hoc eſt ex papatu? vbi ideo genua flectunt coram altari, quia ſpecialem ſanctitatem illi loco tribuunt, cum ibi fiat transſubſtantiatio, qua (ſatis blaſpheme) *Deum ſe facere* ſeu *creatorem ſuum ſe creare* dicunt Pontificii nonnulli Panegyriſtæ. Si hæc cauſa vero non eſt apud nos, cur ergo venerationem exhibemus altaribus? Abſurdus ergo & ſuperſtitioſus eſt hic ritus, quocunque modo eum conſideremus.

Can-

Candelæ etiam accendi cereæ, & vſui huius ſacramenti 196
admoueri ſolent, de quo ritu varie diſputatum eſt. Qui
eum defendunt, hanc rationem adferunt, quia veſpertino
tempore a Chriſto hoc ſacramentum inſtitutum eſt, hinc in
memoriam eius lumina etiam admoueri. Sed hoc ipſo fa- 197
tentur, incongruum eſſe candelas accendere ante vſum
ſacramenti, quod tamen fit in multis locis, vbi durante
concione iam accenſæ ſunt. Deinde incongruum etiam
erat, quatuor vel ſex Candelas ſimul accendere, vti obſer-
uatur in multis templis: quæ omnia *non leues ſumtus* re-
quirunt per anni ſpatium, qui tamen in meliores & magis
neceſſarios vſus impendi poſſent. Sed & Chriſtus non ad- 198
hibuit candelas, vt neceſſarium requiſitum huius ſacra-
menti, ſed quia noctu hoc celebrabat, vbi neceſſitatis non
ſolennitatis cauſa luminibus opus fuit; nos ergo cum me-
dia diei luce hoc ſacramentum diſtribuamus, quid opus eſt
candelis? Aut ergo melius hic ritus omittitur, aut ſacra- 199
mentum etiam celebrandum noctu, vt Chriſtus fecit: ſed
cum hanc temporis circumſtantiam non neceſſariam eſſe
ſtatuamus, quæ cauſa eſt, cur illa adhibitarum candelarum
circumſtantia pro neceſſaria reputanda ſit? Excuſatio iſta, 200
quod fiat memoriæ cauſa, non eſt ſufficiens, nam plerique
ex populo hanc ſignificationem ignorant, deinceps quod
noctu hoc ſacramentum inſtitutum ſit, audiunt ex verbis in-
ſtitutionis, quæ publice cantantur; accedit quod qui vtun-
tur ſacramento, ſane tam rudes eſſe non debeant, vt hæc
ignorent, etiamſi lumina accenſa non ſint. Prout ergo
peſſimus Pontifex Sabinianus, Seculo VII. vſum candela-
rum in templis introduxit; Onuphrius *in Sabin.* ita rectius
faceremus, ſi iſtum ritum omitteremus.

Sed & conſiderationem meretur materia externa ſa- 201
cramenti, panis & vinum, vbi notum eſt porrigi in eccle-
ſiis noſtris *hoſtias* rotundas, quibus figura Chriſti crucifixi

impreſſa eſt. Sed & hunc ritum non conuenire inſtitutioni
202 ſacramenti a ſaluatore factæ exiſtimamus. Chriſtus enim
non vtebatur pane in ſpecie ad hunc vſum præparato, ſed
illo qui tum præſens erat, & quo veſci ſolebant: ſed hoſtiæ
203 non ſunt panis, quem comedere alias ſolemus. Nec obſtat,
quod tamen in eo conueniant cum pane, quo Chriſtus vſus
eſt, quod etiam in hoſtiis non ſit fermentum; nam reſpondeo:
Chriſtus non quæſiuit myſterium in hac circumſtantia,
ſed adhibuit panem ſine fermento præparatum, quia
tempore Paſchatos alio pane veſci erat prohibitum: nos
autem ſemper vtimur pane fermentato, cur ergo non ad-
204 hibemus eundem in ſacramento? Aut ſi nos accommodare
volumus in omnibus, etiam in hac panis circumſtantia,
tempori inſtitutionis, panis præparari quidem poteſt ſine
fermento, ſed in forma panis: iam autem hoſtiæ nihil nec
quoad materiam, nec quoad formam conueniens cum pa-
205 ne habent. In primitiua eccleſia ſimplici pane vtebantur,
& quotidiano, ceu patet ex verbis Apoſtoli *1. Cor. XI. 21. ſeq.*
quod temporibus ſubſequentibus factum eſſe, vsque dum
in papatu forma illa rotunda hoſtiarum introducta, pluribus
teſtimoniis probari poſſet, niſi hoc omnibus conſtaret.
206 Quibus addo, quod & male omittatur ritus *frangendi* panem,
qui tamen a Chriſto primum, & poſtea ſemper ab
Apoſtolis, obſeruatus legitur. Qui ritus eo minus negligendus
erat, quod hoc ipſo ſignificare voluerit Chriſtus,
quomodo corpus ipſius frangi debeat pro ſalute hominum.

207 Calicem etiam ſeu poculum cum vino porrexit Chriſtus
in inſtitutione, vbi eiusmodi poculis vſus eſt, quæ ad
manus erant, & ex quibus bibere ſolebant, neque poſtquam
ad hunc vſum adhibita, ab aliis vſibus communibus ſepara-
208 ta leguntur, vel a Chriſto, vel ab Apoſtolis. Vti & in primitiua
eccleſia in vaſis nullum myſterium quæſiuerunt, ſed &
ligneis

ligneis vaſis vtebantur, vt conſtat ex iure Canonico *Diſtinct. I. de Conſecratione Can. 44.* vbi dicitur: *Quondam ſacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur: nunc e contrario lignei ſacerdotes aureis vtuntur.* Quod adhuc hodie in prouerbio 209 germanico effertur **vor Zeiten hatte man hölzerne Kelche / aber güldene Prieſter / jetzo ſind güldene Kelche / und hölzerne Prieſter.** Vsque dum poſtea in papatu lignea & vitrea vaſa fuerint prohibita, & ab Vrbano Papa argentea introducta. *d. Can. 44.* vbi & ratio additur, abſurda ſatis, quia hoc tenderet in *decus* eccleſiæ, & concluditur canon, neminem ex ſacerdotibus ligneis calicibus vti debere, *ne vnde placari debet, inde iraſcatur Deus.* Quaſi vero in hoc conſiſteret decus, & Deus placari poſſet calicibus argenteis, contra vero iraſcatur, ſi ligneis vterentur ſacerdotes. Adeo omnia in externis ceremoniis poſita erant. Ad noſtra ergo tempo- 210 ra quod attinet, vtimur vaſis argenteis & aureis, quæ *magnis ſumtibus* comparamus, & magis ad vſum in papatu, quam ad inſtitutionem Chriſti & vſum primitiuæ eccleſiæ reſpicimus. Verum poſſet hoc tolerari, niſi ſuperſtitio ac- 211 cederet, & vaſis iſtis quandam ſanctitatem tribueremus. Quamuis enim hoc noſtrates confeſſuri non ſint, facile tamen eorum mens elici poteſt, ſi quæramus, an etiam ex aliis poculis & cantharis, ex quibus alias bibimus, vinum in ſacramento præbere libero animo parati ſint? vbi id ſtatim negabunt, nec vllo modo facient, ſi alia vaſa, in templis ad id deſtinata, adſint: Et ita tacite confitebuntur, in iſtis calicibus ſuis eſſe aliquid ſanctitatis; quæ ſumma ſuperſtitio eſt, deſcendens ex papatu, vbi calices ſunt conſecrati. De in- 212 congruo vſu fiſtularum, calici immiſſarum, ex quibus in nonnullis locis bibunt communicantes, vt vocantur, hic nihil addimus, cum de eo iam dixerit B. Brunnemann. *de I. E. l. 2. c. 1. m. 3. §. 5.*

Ha-

213 Hactenus de loco & tempore huius ſacramenti, item de pane, vino, & vaſis dictum eſt. Nunc agendum de ritibus vſitatis circa ipſam adminiſtrationem & vſum ſacra-
214 menti. Vbi tranſeundo tantum iudicamus abuſum eſſe, quod in multis locis ante vſum S. cœnæ cum recitatur oratio dominica & verba ſacramenti, feminæ in genua procumbant, maſculi non; quod & obſeruauit Brunn. *d. tr. l. 1. c. 6. m. 4. §. 8.* vbi recte quærit: *An forte feminæ grauius peccarunt quam mares, vt maiori etiam humiliatione opus habeant? Annon æquum & pulchrum eſſet, ſi omnes communicantes in genua procumberent, & deuotionem ſuam etiam hac geniculatione, quaſi flabello quodam excitarent?*

215 Quando ita populus conuenit coram altari, cantatur oratio dominica & verba inſtitutionis, equidem cur iſta non legantur, ſed præciſe cantari debeant, non conſtat: ſed hæc
216 tranſeant. Illud tantum monendum, ſacerdotes merito hic precationes publicas præmittere debere, inque iis & gratias Chriſto perſoluere, quod hoc ſacramentum, tanquam medium confirmationis fidei & vnionis animarum cum ipſo, nobis relinquere voluerit, & rogare eum, vt vſum hunc efficaciſſimum eſſe iubeat. Ita enim & Chriſtus gratias agendo inſtituit, & veteres benedicendo, ſanctificando, & gratias agendo, quod precibus faciebant, ſe præpararunt ad verum vſum ſacramenti. Chryſoſt. *hom. 24. in 1. Cor.* Iuſtin. *Apol. II. p. 96. 97.* Sane quin ardentiſſimæ preces ſacerdotis multum contribuant ad excitandam deuotio-
217 nem, dubium nullum eſt. Hoc tamen apud nos male negligitur, & loco eius nihil remanet, quam ſignum crucis, quo vtitur Sacerdos, dum verba inſtitutionis cantat: vbi tamen vix eſt vt abſit ſuperſtitio, qua creditur eo momento quo ſignum crucis additur, de cælo dimitti benedictionem, ceu Pontificii eo tempore fieri transſubſtantiationem exiſti-
218 mant. Quæ coniectura noſtra adiuuatur alio ritu in vicina pro-

prouincia aliisque vſitato, dum eo tempore quo verba inſtitutionis recitanda, etiam campanula ſignum datur, **es wird mit einem Klöcklein dazu geleutet /** ſicut & pontificii hoc ſignum dare ſolent eo tempore, quo transſubſtantiationem fieri prætendunt, quam campanulam etiam in quibusdam locis vulgus vocat, **Wandel Klöckchen /** quaſi quod eo tempore adhibeatur, quo transmutatio ſeu transſubſtantiatio fit. Ad minimum populus hæc ita ſibi imaginatur. In aliis locis cantor vel cuſtos eo tempore baculo ſignum dare ſolet. Vnde & plerique ex populo tum, cum ſignum cru- 219
cis adhibetur, genua flectunt, **das Volck neiget und bücket ſich/ wenn der Prieſter die Worte ſpricht: das iſt mein Leib/ das iſt mein Blut/ und das Brod und Wein mit dem Zeichen des Creutzes ſeegnet.** Imo quod magis eſt, etiam plerique ſacerdotes, dum hæc verba dicunt, ſimul cum ſigno crucis genua flectere ſolent: & pueri, deſtinati ad lintea ſubducenda communicantibus, qui tum in genua prolapſi ſunt ante altare, eo tempore quo iſta verba pronunciantur, & ſignum crucis adhibetur, faciem ſuam in terram vſque dimittunt, **Sie bücken ſich mit dem Angeſichte auff die Erde/ und bleiben eine ziemliche Zeit liegen.** Quæ omnia eiusmodi ſunt, vt, tanquam reliquiæ papatus, non poſſint non grauiſſimos errores producere.

Vtile quoque eſſet, vt communicantes ante vſum ad- 220
huc ſerio admonerentur, vt hic caute procederent, & niſi ſeriam intentionem haberent, abnegandi mundũ, & nulli peccato amplius ſeruiendi, potius recederent, nec vſu ſacramenti grauius iudicium diuinum in ſe prouocarent. vid. Brunn. *I. E. l. 1. c. 6. m. 4. §. 5.* vbi addit: *Nam in quibus vel pauca reliquiæ ſunt Chriſtiani pectoris, ſolent eo tempore eſſe dociliores ac tractabiliores, vt multum profuturæ ſperentur tales hoc tempore admonitiones.* Equidem in quibusdam locis in terris 221
Brandenburgicis, vt & in patria mea, receptum eſt, vt

T eius-

eiuſmodi admonitio prælegatur,ſed hoc vſum exiguum habet, cum facile in conſuetudinem degeneret, & ne quidem omnes attendant: Viua vox vtique plus efficit, ſed vtinam tam muti non eſſent noſtri ſacerdotes! Inde optime conſtitutum in der Kirchen-Ordnung der Stadt und Herrſchafft Derenburg. de Anno 1699. §. XI. daß die Communion allemahl mit einem Gebeth oder kurtzen Ermahnung zur Andacht und Erweckung der Communicirenden/ anzufangen.

222 Olim ante & poſt vſum S. cœnæ oſculo ſe inuicem ſalutabant, & in Chriſto de nouo vniebant communicantes, vid. Chryſoſt. *Hom. 77. in Ioh.* Iuſtin. *Apol. II. p. 96.* Quod erat ſignum pacis, ſignum intimi amoris & confœderatio-
223 nis. Sed hodie, quia primum amorem amiſerunt Chriſtiani, ignorant plane, quid ſit oſculum pacis, interim potius ſolliciti ſunt ratione proëdrias, ne indignior digniorem antecedat, imo ſæpe alter alterum coram altari retro pellit, vti exemplum de viris in magno honore conſtitutis referre poſſemus, niſi odioſum eſſet. Conferatur etiam Dn. Böhmer. *Tr. de Iure parochiali Sect. IV. c. 1. §. 7.* Et quæ huius generis alia ſunt.

224 Quando porro acceſſerunt communicantes ad altare, ſacerdos vni poſt alterum hoſtiam tradit, non in manus, ſed immediate in os: qui ritus iterum pertinet ad reliquias
225 papatus. Poſtquam enim, ex pontificiorum hypotheſi, per transſubſtantiationem ex pane corpus Chriſti factum eſt, nemo conſecratam hoſtiam manibus apprehendere poteſt quam ſacerdos, cujus priores in manu digiti eapropter conſecrati & conſecrata tota perſona eſt, ne violetur ſacramentum. Vti & plane de vaſis conſtituit Sixtus I. Pontifex, *ne ſacra vaſa profana attrectarent manus.* Pol. Vergil. *de Inuent.*
226 *rer. l. 6. c. 12.* Et nos, reiecto licet falſo illo principio, tamen ritum illum retinemus, cuius nulla ſolida ratio adferri poteſt;

eſt; vt ita & huic ritui coniuncta ſit ſuperſtitio. Ab initio 227
ſane non erat ſic, nam primitus Chriſtianis hoc ſacramen-
to vſuris, in manus porrigebatur panis, vti tradit Tertul-
lian, *l. 2. ad vxor. c. 5.* Chryſoſtom. *homil. 21. & 22. ad Antioch.*
Euſebius *l. 6. Hiſt. E. c. 42. aliique.* Ego ſane non ſuaderem, 228
vt quisquam auderet manibus accipere ſacramentum, nam
is certe vt turbator ſacrorum grauiſſimas pœnas luere de-
beret. Eadem ratio eſt oblati calicis, quem magna cura 229
& ſolicitudine ori communicantis admouet ſacerdos, qua
opera ſuperſedere poſſet, ſi cuiuis permitteret, vt ipſe
manibus eum apprehenderet, & biberet. Euitari etiam 230
hoc modo multa incommoda poſſent, dum exempla ad-
ſunt, vbi nihil hauſit aliquis: quandoque etiam tanto impe-
tu admouetur, vt alter tam cito bibere non poſſit, ſed ſæpe
aliquid effundatur.

Quid dicendum de linteis, quæ ſubducuntur ori com- 231
municantium, dum capiunt ſacramentum, & communiter
a pueris in multis locis ſpecialiter ad id ſcenico more veſti-
tis? Cœcus ſit oportet, qui non videat, hoc quoque ad reli-
quias papatus pertinere. Scilicet cauent valde pontificii, 232
ne poſt transſubſtantiationem vel minimum de corpore &
ſanguine Chriſti, panis enim & vinum nunc deſiit eſſe ſe-
cundum eorum principia, in terram decidat: ne corpus
vel ſanguis Chriſti pedibus conculcetur. Cur ergo nos 233
retinemus ritus, qui non ex aliis quam iſtis falſis principiis
defendi poſſunt? Sane nec inſtitutioni ſacramenti a Chri-
ſto factæ, nec vſui primitiuæ eccleſiæ conuenit. Satius
eſſet Chriſtum & Apoſtolos imitari, quam pontificiorum
errores.

Sed & illud non videtur ſatis conuenire inſtitutioni 234
primæuæ, quod communicantes non aſſideant menſæ, ſed
prætereundo & circumeundo altare ſacramentum accipi-
ant. Et quamuis contra hoc vrgeatur, quod ob tantum 235

T 2 nume-

Digitized by Google

numerum id non liceat, facile tamen reſponderi poteſt, hunc numerum diminui poſſe, ſi quotidie ſacramentum
236 hoc adminiſtraretur. Eſt in tam immenſo numero iam aliquid incommodi, & in arctiori ſocietate maior animorum coniunctio, maior deuotio. Conuenientius vtique eſſet, in hoc ſacramento ad rationem primæ inſtitutionis, a Chriſto factæ, reſpicere.

237 Finito vſu conuiuæ cæleſtis huius epuli iterum denuo admonendi eſſent, vt recte Brunnemannus *d. tr. l. 1. c. 6.*
238 *m. 4. §. 6.* vbi & contenta huius admonitionis narrat. Sed hoc in aliis locis plane non obſeruatur, in aliis obſeruatur, ſed in feſtis ſaltem maioribus, in aliis ſemper quidem, ſed admonitio prælegitur ex libro, vt plurimum ſine affectu & effectu; melius eſſet ſi paſtores viua voce homines admonerent incitarentque, ad vitam nunc vere Chriſtianam in humilitate & manſuetudine peragendam. *Nam iſto tempore*, inquit Brunnemann. cit. l. *omnes, indignos etiam, modo non plane Athei ſint, ſenſum timoris Dei in ſe deprehendere credo.*

239 Duo adhuc, ratione totius cœtus in templo congregati, monenda ſunt: alterum, debere durante adminiſtratione hymnis totum cœtum colere memoriam paſſionis domini: quod tamen raro obſeruatur, vt conqueritur Brunnem. *d. tr. l. 2. c. 1. m. 3.* §. 4. his verbis: *Eo tandem res deuenit, vt dum paſſio Domini meditanda, figuralis & fere theatrica muſica celebretur. Hæc, ſcilicet! ad meditandam paſſionem do-*
240 *minicam nos deducit.* Alterum eſt, quod, cum cœperit ſacramentum adminiſtrari, reliqui homines *tanta copia, tanto cum tumultu ſe ex templo proripiant, VT PVTES FORTE INCENDIVM IN VRBE ESSE, VEL HANNIBALEM ANTE PORTAS*, vt iterum loquitur Brunnemann. *l. 1. c. 6. m. 4.* §. *9.* vbi in ſequentibus vſum inſignem, quem quis ex conſpectu huius ſacramenti percipere poſſet, his verbis oſtendit: *Poteſt Chriſtianus quaſi repetere ſingulis dominicis ſacram communionem*

nionem pia deuotione & meditatione, quaſi ſemper vna communicaret.

Totum negotium tandem concluditur benedictione, 241
& ſigno crucis. Vbi fatemur, quod ſignum crucis concernit, hoc iam receptum fuiſſe in primitiua eccleſia, dum
iam ſeculo ſecundo hoc adhibitum legitur. Verum diſtin- 242
guenda ſunt tempora, nam tum temporis ſignum crucis erat ſimul ſpecies confeſſionis, hoc ipſo enim demonſtrabant Chriſtiani coram ethnicis & inimicis fidei Chriſtianæ, quod ſibi pudori non ducant Chriſtum crucifixum etiam hoc ſigno profiteri: nunquam vero myſterium in iſto
ſigno externo quærebant. Sed hodie hoc ſignum magis 243
conſuetudinis cauſa adhibetur, nec abeſt ſuperſtitio: tam *ratione paſtorum*, dum nonnulli tam large manus extendunt, vt nemo forte ſit, qui non geſtu iſto comprehendatur, quaſi ad eum alias benedictio pertingere non poſſet: quam *ratione auditorum*, qui eo tempore quo hoc ſignum crucis adhibetur, genua flectunt, quaſi hoc præciſe momento benedictio
ad eos perueniret. Vtendum ergo hoc ſigno, ſed ita, vt 244.
eo etiam non vti liberum ſit, & vt omnis abſit ſuperſtitio, ad quam euitandam quandoque etiam admonendus eſſet populus. Ceterum conferri meretur egregius tractatus excell. ICti Dn. Wilduogelii, *de Venerabili ſigno crucis.*

Verum ne quis me vt turbatorem ſacrorum & Religi- 245
onis, imprudenti & peruerſo zelo, perſequatur, quo fine iſta a me allata ſint, dicendum eſt. Et primo quidem repeto hic proteſtationem illam ſupra *n. 62.* factam: non enim (1)
animus eſt cauillandi ac pedibus calcandi religionem: hæc 246
ſane mihi ſancta eſt & venerabilis, qua iocandum certe non eſt, nec quidquam cedendum aut deflectendum ab æterna & diuina veritate: verum hi externi ritus non pertinent ad religionem, neq; pars religionis, niſi in peruerſo ſenſu, dici poſſunt. Sancta eſt religio, ſed ritus ſupra memorati 247

non ſunt ſancti, quin potius inutiles & ſuperſtitioſi. Cum ergo in exercitio religionis ritibus opus ſit, tales potius ritus obſeruemus, qui conueniant tam puræ & ſanctæ religioni: dedecus ſane eſt puram & optimam religionem noſtram his impuris & multo ſtercore maculatis inuolucris inuoluere.

248 Quo ipſo & ſua ſponte corruit obiectio, nos ita, nuditatem iſtam & abſurditatem noſtrarum rituum detegendo, anſam aduerſariis calumniandi ſuppeditare: quin potius ſi tollamus iſtos abuſus, omnem cauillandi materiam ipſis adimemus; oſtendendum enim, nos in his rebus nec cultum nec religionem conſtituere, quin potius vti pro libertate hactenus his ritibus vſi ſumus, ita eadem libertate eosdem etiam

249 nos derelinquere poſſe. Abſurdum principium eſt, verſari nos hic in ſtatu confeſſionis, itaq; ne latum vnguem quidem cedendum eſſe: Sane in his rebus non conſiſtit confeſſio noſtra, effectus amoris proximi eſt, tollere ea quæ a Deo non præcepta, ſi offendiculo ſint proximo. Imo, ſi hic ex bona fide ageremus, errores in his rebus externis agnoſceremus, eosq; tolleremus, erubeſcerent aduerſarii & ingenuos nos eſſe videntes, ipſi etiam ad agnoſcendos proprios errores facilius adigerentur, & forte in noſtras partes plane tranſirent. Pertinacia animi auget diſſidia, ſed ſincera agnitio proprii erroris penetrat animos, & ad concordiam incitat.

250 Neque (2) animus eſt turbare conſcientiam infirmiorum & a cultu diuino & vſu ſacramentorum auocare, quin

251 potius illos inſtruere & tranquillas reddere cupimus. Oportet enim vt pro fundamento hæc duo teneantur; (1) ritus externos non eſſe partem eſſentialem cultus diuini: (2) tolerandos eſſe patienter conſuetos ritus, vsque dum a ſuperio-

252 re fuerint mutati. Non ergo a cultu diuino abſtrahimus, dum ea ſublata partim, partim mutata volumus, in quibus cultus Dei non conſiſtit, hoc ipſo ſane id agimus vt homines perducamus ad Deum, non pompoſo theatrali & ſuperſtiti-

oſo

oſo modo, ſed in ſpiritu & veritate colendum. Sed ex hoc 253
porro id deducimus, ſi in ritibus iſtis cultus Dei non conſiſtit, etiam illi, qui Deum in ſpiritu & veritate colit, ſacramentisque vera fide vtitur, externi iſti ritus nihil nocent, cum in his nihil ponat, & quamuis optet hos ritus aliter eſſe ordinatos, tamdiu tamen hoc patienter fert, quia tantum externa ſunt, vsque dum a ſuperiore, cui ſoli ius mutandi competit, aliter fuerint diſpoſiti. Hoc modo & inſtruitur con- 254
ſcientia, ne ritibus adhæreat, etiamſi melius ordinati fuerint; & tranquillatur, dum ad patientiam in perferendis iſtis, quæ mutare in priuati poteſtate non eſt, incitatur.

Amotis ergo falſis imputationibus quæ hic moueri 255
poſſent, nunc ſcopum noſtrum eo melius declarare poſſumus, qui duplex eſt: I. Vt eiusmodi ritibus nullius turbetur & grauetur conſcientia. Vti enim ſupra *n. 51. ſeqq.* oſten- 256
ſum, ritibus illis vtendum eſſe ſalva libertate; ita etiam, ſi appareat, aliquem ob ſcrupulum in conſcientia ortum, abhorrere ab hoc vel illo ritu, non odio is proſequendus, non mandatis pœnalibus compellendus ad obſeruandum id, quod conſcientiæ ſuæ adverſum credit, ſed potius ipſi concedendum, ut tamdiu abſtineat ab illa re, vsque dum ſuperatis dubiis vera animi libertate his rebus vti poſſit. Cum 257
enim hi ritus non ſint ipſe cultus Dei, cur non permittamus vt aliquis Deum colat ſine illis ritibus: certe ſi neceſſitatem hominibus imponimus, nihil aliud efficimus, quam vt iugum nouæ legis ceremonialis in humeros eorum deuoluamus, contra rationem & indolem noui teſtamenti. Et huc reſpexit Lutherus, in locis præfationi hujus Diſſertationis ſupra adiectis, ſtatuens, quod ſecus fit, tyrannico ſpiritu fieri.

Deinceps II. ſcopus noſter eo tendit, vt, cognitis per- 258
uerſis ritibus apud nos vſitatis, conſtet in quibus partibus, etiam quoad externa negotia, reformatione opus habeat eccle-

259 eccleſia noſtra. Hic vero ante omnia tollendum eſt illud præiudicium, eccleſiam tempore Lutheri iam reformatam eſſe, & vlteriori reformatione non indigere, qua de re ſupra *n. 22. ſeqq.* diximus: nunc tantum illud addimus, Lutherum & primos reformatores tum temporis multos ritus retinuiſſe, non quod perpetui eſſe debeant, ſed pro ratione illius temporis, vt, quantum fieri poteſt illæſa conſcientia, ſe accommodent infirmis animabus in papatu. Quod recte obſeruauit Dn. Spenerus Theol. Bedencken *P. 1. c. 2 art. 5. Sect. 13.* his verbis: So ſetze ich nun dieſes voraus / daß wohl zu wünſchen wäre / daß bey der reformation von allen Kirchen / wie es von den meiſten oberteutſchen geſchehen iſt / die meiſten ceremonien ſo in dem Pabſtthum gebräuchlich geweſen / und nicht eben einen ſonderbahren Nutzen und Andacht haben / wären ausgelaſſen / und der Gottes-Dienſt zu einer mehrern Einfalt der erſten Kirchen / ehe noch dieſelbe ſonderlich in dem Pabſtthum mit einer groſſen Menge der ceremonien überſchüttet worden / gebracht worden; da man hingegen an vielen Orten dahin getrachtet / daß / die *inuidiam* der Abweichung der Römiſchen Kirchen zu vermeiden oder zu vermindern / unſer Gottes-Dienſt dem Römiſchen / in dem euſerlichen / als viel noch müglich wäre / ähnlich bliebe. Welche Abſicht damal ihre feine Urſache gehabt / und ich unſere liebe Vorfahren / ſo jene vor Augen hatten / ihres thuns wegen nicht ſtraffen will. Indeſſen ſehen wir doch die Folge &c.

260 Cum ergo iſta ratio hodie ceſſet, nec ita inuidia illa potuerit euitari, noſtraque eccleſia ſatis ſtabilita ſit, nos excuſari non poſſumus, quod omnia in eodem ſtatu relinquamus, noſtramque eccleſiam ab iſtis reliquiis papatus in melius non reformemus. Quo pertinet egregius locus, apud Theophilum Großgebauer / qui in der Wächter-Stimme *c. 11. p. 207.* cum approbatione Theologicæ Facultatis Roſtochienſis, ita hac de re diſſeruit: Im Anfang der reformation iſts geſche-

geſchehen / daß man die Mitteldinge zur Liebe und zur Schwachen Beſſerung anwendete; was aber dazumal ein freyes Ding war / in guter Hoffnung / daß die / ſo ſolche Ceremonien hatten / zu uns treten würden / das iſt nun ein Nothzwang / und faſt ein Articul des Glaubens worden / daß wir nichts ändern / ob wirs gleich mit Händen greiffen / daß es noth und nütze ſey / ohne was wir ſehen / das von ſeeligen Luthero / nach den Umſtänden derſelben Zeit / angeordnet iſt. Gewißlich Aberglaube iſt kein Glaube. Die Kirche und ihre Hirten müſſen wachen / daß / nachdem die Zelten ſind / nachdem die Gemeinen in gottloſen ungeiſtlichen Weſen zunehmen / nach dem auch die Kirchen-Gebräuche geſtellet werden. Wache du allenthalben / vermahnet Paulus. Die Evangeliſche Kirche / nachdem ſie von Babel ausgegangen / hat ſie die Worte / ſo die Himmliſche Stimme ihr nachgeſchrien / vergeſſen: Der Gerechte werde noch gerechter / und der Heilige werde noch heiliger / *Apoc. XXII.* 11. Sie hat vielmehr der Laodiceiſchen Gemeine hoffärtigen eiteln Sinn angenommen / und ſpricht: Ich bin reich und habe gar ſatt / und darff nichts. Aber es wird ihr geantwortet: Du weiſt nicht / daß du biſt elend und jämmerlich / blind und bloß. *Apocal. III.* 17.

Cum ergo reformatione opus habeat Eccleſia noſtra, 261
nunc porro videndum cui ius reformandi, ritusque prauos in meliores mutandi competat? Sed hic nos remittimus ad ea quæ ſuperius Cap. II. acta ſunt, vbi pluribus demonſtrauimus, Principi competere ius ſacrorum, & ita etiam ius ordinandi ritus eccleſiæ: ſicut & communis ſententia eſt. Addatur B. Brunnem. *de I. E. l. 1. c. 2. §. 28.* Durrius *in Theol. moral. Part. Spec. Sect. 2. c. 3. §. 16.* Quo & pertinet diſ- 262
curſus Sereniſſ. Elect. Brandenb. Ioachimi II. directus ad illos miniſtros eccleſiæ, qui ipſi, de ritibus diſponenti, ſe oppoſuerunt, cuius verba adducit Dn. Buchius *Diſſert. de Ceremoniis Eccleſ. c. 2. th. 9.* ex Dn. Becmanni *Polit. paral. c. 17.*

Ich weiß wol wo es euch Herrn Prædicanten leit/denn ihr euch in viele Hände menget/die euch nicht befohlen/und wollet ſelbſt Herren ſeyn/keine Obrigkeit oder Ordnung leiden/und ein jeder wil es in der Kirchen machen/wie es ihm gefällt und behaget. Den Pabſt wollet ihr zum Herrn nicht leiden/keine Biſchöffe wollet ihr auch nicht wiſſen/keine Fürſten könnet ihr auch nicht dulden/nun müſt ihr doch zuletzt jemand leiden. Wenn ich euch was verordnete/das wider GOtt wäre/als daß ich euch wolte verbieten/das reine Göttliche Wort nicht zu predigen: an Chriſtum nicht zu glauben: durch eure Wercke ſeelig zu werden: item, die Sacramenta nach der Einſetzung Chriſti nicht zu reichen: und verböth eure Weiber nicht zu haben/in dieſem Stück ſolt ihr mir gar keinen Gehorſam leiſten/ſondern ſagen: Mein gnädiger Herr/in dieſem Stück können wir Eurer Chur-Fürſtl. Gnaden keinen Gehorſam leiſten/und da müſt ihr das Wort gebrauchen: Man muß GOTT mehr gehorchen als den Menſchen. Dieſer Stücke aber wehre ich euch keines/etc. und ordne euch nur bloß res Adiaphoras, das ſind Mittel-Dinge/die zur Seeligkeit weder geben noch nehmen/ thue es deßhalben/damit wie Paulus ſagt: Omnia decenter & ordine fiant. In dieſen Stücken ſeyd ihr mir gehorſam zu leiſten als eurem Landes-Fürſten/wie Paulus ſagt/ ſchuldig: Thut ihrs nicht/ſo thut ihr wider GOtt/etc.

263 Reſtat tantum vt quædam dubia remoueamus, quæ contra mutationem rituum moueri ſolent. Inter illa autem (1) eminet, quod Principi plane hanc poteſtatem denegent, & demum a tota eccleſia ritus tolli & mutari poſſe

264 aſſerant. Sed hæc ſententia tam abſurda eſt, vt vix refutatione digna videatur, quin & ſi attendamus vnde fluat, hoc non aliud eſt, quam vt clerus poteſtatem in eccleſiaſticis Principi aufferat, & ſibi vindicet. Nam per eccleſiam intelligunt miniſtros eccleſiæ, qui etiam *eccleſia repræſentatiua*

Digitized by Google

tiua vocari volunt, & hic eſt nouus papiſmus. Deinde ſi eccleſiæ tantum competit mutare ritus, idem eſt, ac ſi dicerent, nunquam mutandi ritus, quia pleraque pars cleri his rebus adhæret, & nunquam conſentiet vt mutentur. Sed vt binis verbis demonſtremus contrarium, ita dicimus: 265
Ius ordinandi ritus in eccleſia eſt vel iuris diuini, vel humani: quocunque id referas, clero non competit. Nam ius diuinum a ſolo DEO proficiſcitur, hic autem cum ritus certos non præſcripſerit, eos arbitrio hominum reliquit. Ius autem humanum exercet ſumma in rep. poteſtas, ſecundum normam tamen & rationem iuris diuini. Hæc ſumma poteſtas vero cum non ſit penes clerum ſed Principem, ſequitur huic etiam ſoli ius ordinandi ritus competere. Alias haberemus duplicem in Rep. poteſtatem, alteram cleri in eccleſiaſticis, alteram Principis in ciuilibus; quod fundamentum eſt monarchiæ papalis, ſecundum principia noſtræ religionis dudum reiectum.

Sequitur (2) aliud dubium, ſcilicet, etiamſi Principi hoc 266
ius competeret, ritus tamen illos tanto temporum ſpatio per integra ſecula fuiſſe obſeruatos, & ſic conſuetudinem inde naſci, quæ vtique eiusdem efficaciæ eſt, quam ipſa lex. Sed reſpondetur: ita ergo & Lutherus aliique reformatores, 267
nihil ex ritibus in papatu receptis, mutare potuiſſent, cum longe diutius ante ipſos fuerint obſeruati, quod ergo iis iuſtum fuit, cur hodie iniuſtum dici debet? Sed ad hoc etiam 268
dubium alio modo reſpondet Brunn. *de I. E. l. 1. c. 3. §. 8.* ſcilicet, conſuetudinem irrationalem nec de iure validam eſſe, aut vi legis gaudere: nunc autem nihil aliud intendimus, quam vt illi tantum ritus, qui irrationales ſunt, tollantur, & in melius mutentur. Verum poſito etiam, ex iſta conſuetudi 269
ne hactenus recepta ius naſci, notum tamen ex principiis iuris eſt, Principem etiam conſuetudinem tollere poſſe contraria lege, ergo eo vsque tantum valebit illa conſuetu-

 do,

do, donec aliud a Principe conſtitutum non eſt, quod ſi factum fuerit, iſta conſuetudo nullius erit efficaciæ.

270 Illud (3) maioris momenti videtur eſſe dubium, quod ſcilicet, ſi ita ritus mutaretur in eccleſia Lutherana, videremur in quibusdam rebus nos imitari velle Reformatos, quod non poſſet non in deſpectum eccleſiæ noſtræ tendere.

271 Verum nec hoc vllius ponderis eſt, primo enim ſecundum regulas ſupra a nobis traditas, & conſiderationem rituum ſpecialium inſtitutam, etiam eccleſia Reformata, vt voca-
272 tur, habebit quod emendet. Deinde, nihil abſurditatis eſt, in illis partibus, quæ quoad cultum externum ab iis bene ordinatæ, eos ſequi, quicquid etiam contra clamet Chriſtianus Weber *Tr. de Iure Conſiſtoriorum. c. 27. Sect. 4.* cum in his rebus non conſiſtat religio, vt ſupra demonſtratum. Ita ad hoc dubium eodem modo reſpondet Brunnem. *l. 1, c. 6. m. 6. §. 3.* vbi de precibus ex homilia formandis agit, & ſubiicit: *Sed vnum forte opponent, hæc non fieri poſſe ſine ſcandalo; nam quia hoc in Reformatis eccleſiis fieri ſolet, metui debet, ne imitari eos videamur. Sed quæ quæſo hæc eſt ſcandaliſatio, ſi in bonis eos, qui in religionis capitibus aliquot diſſentiunt, imitemur?* Quod ſi hæc ipſa aliquid ad vnionem proteſtantium conferre poſſent, peſſimus foret, & inimicus pacis, qui non libenter condeſcenderet; Hinc recte Puſendorfius, ſi ratio quædam componendis controuerſiis circa doctrinæ capita inueniri poſſit, reliqua diſſimulanda aut corrigenda eſſe. *In Iure Feciali diuino, ſeu de Conſenſu & Diſſenſu inter proteſtantes. §.*
273 *69. pr.* Addo & hoc, propter pertinaces: Non imitemur vel Reformatos vel vllam ſectam, imitemur tantum veritatem, & ſecundum eam agamus. Sane hanc deſerere non debemus ideo, quod eadem in aliis ſectis, a quibus diſſentimus, iam recepta ſit. Amicus Plato, amicus Socrates, amicus Lutherus, amicus Caluinus, ſed magis tamen amica veritas.

Sed

Digitized by Google

Sed pergunt (4) aduerſarii, has mutationes rituum ſine 274
ſcandalo totius populi fieri non poſſe, iam vero vtut concederetur, mutari ritus a Principe poſſe, perpetuam tamen hoc reſtrictionem habere, modo hoc ſine ſcandalo fieri posſit, hoc enim ne excitetur, omni modo cauendum. Et hæc obiectio tanti ponderis eſſe creditur, vt fere illi ſoli confidant. Quodſi porro quæras in quonam hoc ſcandalum 275
conſiſtat, id fere omnes in eo ſitum eſſe affirmabunt, quod populus iſtos ritus pro parte religionis habeat, & ita, ſi auferri debeant, crediturus ſit, religionem ſibi adimi; dandum ergo aliquid eſſe ſuperſtitioni populi, ne maius malum inde eueniat. Sed hæc omnia tanti non ſunt, vt vel minimum aſ- 276
ſenſum mereantur, quin potius ſi ritus omnes in priſtino ſtatu relinquantur, cum tamen conſtet de ſuperſtitione populi, hoc ipſo maius ſcandalum datur, dum populus in errore ſuo confirmatur. Contra vero ſi publice homines mone- 277
antur, quod his rebus nihil tribuere debeant, vti hoc iniunctum paſtoribus vt crebro fiat, Magd. Kirchen-Ordn. *tit. 2. §. 1.* atque ipſo facto ritus praui tollantur, hoc ipſo non ſcandalum, hoc eſt occaſio peccandi datur, ſed potius tollitur ſandalum, quod continuo prauorum rituum vſu iam diu datum eſt, cum non poſſit populus ad veram Dei cognitionem peruenire, niſi auocetur omni modo ab iſtis externis rebus. Recte Lutherus Kirchen-Poſtill/ am Tage der Kirchweihe/ *p. m. 216.* vbi de magna pompa in externis ritibus eccleſiæ agit, ita hac de re diſſerit: Es ſey denn daß ihr die Hertzen der Menſchen von dieſem Gepräng und äuſſerlichen Larven errettet und frey gemacht / wird Chriſtus keinen raum noch ſtatt in ihnen finden. Es muß alles hinweg/ wenn anders Chriſtus in dir wohnen ſoll. Er ſpricht ſelbſt: Es ſey denn daß ihr euch umkehret ꝛc. Denn es iſt unmüglich/ daß die Menſchen erkennen was Chriſtum angehöret / es

ſey denn / daß zuvor dieſe äuſſerliche Dinge aus dem Her=
278 tzen geriſſen und ausgetilget werden. Iam ergo ſi vlla adhuc
iudicii vis Lectori ſupereſt, conſideret hoc, annon templa
noſtra plena ſint ſcandalis, an ergo dici poſſit, quod is ſcan-
279 dalum det, qui ſcandala data tollere cupit? Quodſi ve-
ro rem ſine præiudicio intuemur, latet clerus in hac herba,
is enim ipſe totus adhæret conſuetis ritibus & eos ſuper-
ſtitioſe colit, atque ne hoc idolum ipſis auferatur, prætendunt,
dandum aliquid eſſe imperito populo, & fingunt hic
ſcandalum, vbi nullum re vera ſcandalum eſt.

280 Denique (5) hoc etiam vrgent, ſublatis & mutatis ri-
tibus, facile tumultum excitari poſſe & ſeditionem, cum
populus nimium inhæreat iſtis ritibus: hinc omnia in pri-
ſtino ſtatu relinquenda: quam rationem affert Chriſtianus
281 Weber *cit. loc.* Sed hanc rationem nolo pro merito excutere,
demonſtrareq; quam potius ipſi autores, qui hanc rationem
proferunt, ſint tumultuarii, & culpam tantum in miſeram
282 plebem deriuare cupiant. Certe ſi modo miniſtri ec-
cleſiæ officium ſuum facerent, & populum omni modo
ab his rebus auocarent, facile omni tumultui obuiam ire
poſſent. Sed quando ipſi clamant ex ſuggeſtu, aufferri re-
ligionem, libertatem tolli, ſacra turbari, tum ſane tumul-
tum excitant, & autores omnis mali, quod inde provenit,
ipſi ſunt habendi.

283 Vt ergo hic ſecure & prudenter agat bonus Princeps,
qui forte faciem quoque externam eccleſiæ in melius mu-
tare cupit, tres prudentiæ regulas hic ipſi præſcribimus.
Primo, vt ante omnia ſollicitus ſit, vt eccleſiis præficiantur
284 boni & pii miniſtri & paſtores. Impii ſunt ſuperſtitioſi, &
ſemper adhærent externis, cum interior cultus, qui ſolus
verus eſt, ipſis plane ſit incognitus: hi ergo ſemper ſe
opponent Principi, excitabunt populum, & tantum non
omnia

omnia molientur. Illi vero miniſtri qui Deum colunt in ſpiritu & veritate, qui non viſibilibus adhærent, ſed ſoli inuiſibili DEO, operam omnem præſtabunt, vt nihil fiat in eccleſia, niſi ad emendationem; adiuuabunt Principem, vt omni modo populus ab externis illis ritibus & ſuperſtitioſo cultu auocetur & abſtrahatur. 285

Secunda prudentiæ regula eſt, vt Princeps, ſi hic vel 286
ille ritus tollendus aut mutandus ſit, prius curet præparari populum: Hoc eſt, vt miniſtri eccleſiæ antea aliquoties populum doceant, minime ritibus adhærendum eſſe, in iis non conſiſtere partem religionis, ritus autem noſtros ſemper magis magisque emendandos eſſe. Hoc ſi fecerint 287
miniſtri eccleſiæ per aliquot tempus, idque ſerio, populus, ſi poſtea quidam ritus ſit mutandus, nec ſcandalum accipiet, nec tumultum mouebit.

Sed hic tertia etiam regula prudentiæ non negligenda, 288
ſcilicet, vt caveat Princeps ne omnia vno impetu fiant, neque enim conſultum eſſet omnes ritus prauos ſimul tollere, aliosque ſubſtituere, maxime ſi populus veritatis huius nondum ſit conuictus. Sed hic lento gradu eundum eſt, 289
primo vnus ritus emendandus, & incipiendum a craſſioribus, cuius iniquitas magis in confeſſo eſt; Deinceps, poſt aliquod temporis interuallum, alius iterum emendandus ritus, ac ita porro procedendum. Et hoc modo, populo ne quidem aduertente, quam plurima ſenſim mutari poſſunt. Deus certe huic tam laudabili Principis intentioni ex alto benedicet, efficietque ſua virtute, vt omnia ad felicisſimum perueniant FINEM.

FINEM ergo hic etiam ſcribendi facimus, atque ante 290
omnia Deum optimum benigniſſimumque laudamus, eique grates perſoluimus immortales, quod pro infinita bonitate ſua ſtudiis noſtris academicis hactenus tam benigne

bene-

benedixerit, nobisque vires animi & corporis conceſſerit, ac gratia ſua adfuerit conſtanter, vt hic etiam labor felicisſime abſolui potuerit: Faxit nunc etiam cœleſtis pater, vt ex hac opera multi & innumerabiles fructus redundent in eccleſiam ſuam pariter & rempublicam, quod ardentisſi-
291 mis ab eo expetimus precibus. Quod ſupereſt beneuolum lectorem tribus adhuc verbis compellamus, antequam ipſum dimittamus. Et primo quidem vt ne ex mole diſſertationis occaſionem calumniandi ſumat. Neque enim hodie diſputationes ſcribuntur, vt tantum occaſionem per aliquot horas diſputandi præbeant, ſed ſcribuntur toti orbi litterario, vt & abſentes eo labore frui, remque, an digna approbatione ſit an ſecus, iudicare queant. Inde aliquando plenius tractandæ ſunt materiæ, maxime quæ ab aliis vel plane tactæ non ſunt, vel non rite deciſæ. Interim longe plura adhuc ſcribi potuiſſe, apparebit cuique, qui tantum contenta capitis vltimi conſiderauerit; vbi fere omnia per
292 compendium exhibita. Alterum eſt, ne tædio adficiatur, ſi viderit aliorum teſtimonia me cumulaſſe & interdum conceptis verbis retuliſſe. Equidem veritatem dixiſſe deberet ſufficere, ſed multi ita comparati ſunt, vt vix fidem habeant veritati, niſi & agnita ſit ab iis, quos in pretio habent, quorumque venerantur autoritatem; quin quod & ſub ſpecie nouitatis ſæpe contemnatur veritas, quæ quidem æterna eſt, ſed diu occulta iacuit. Verba Autorum vero ideo ſubinde ipſa adſcripſimus, partim quia plane egregia ſunt & opportuna, partim quia paucisſimi ſunt qui ſolas allegationes euoluunt, cum tamen iſta non ignorari e re eſſe videatur. Neque tamen in totum ſubſcribimus vel adductis, vel vlli hominum, ſed ſoli veritati diuinæ, hinc ſi in aliis capitibus a nobis recedant Doctores quos laudauimus, contra nos teſtimonia ex eorum ſcriptis deſumpta nihil

hil operabuntur. Tertio denique id amiciſſime contendi- 293
mus a B. L. vt de tota hac diſſertatione eiusque ſcopo non
aliud iudicium ferat, quam quod intentioni noſtræ conue-
nit, neque mentem nobis ſiniſtram affingat, vt communi-
ter fieri ſolet; ſatis enim ſuperque & in præfatione, & ſub-
inde in tractatione, eam explicauimus. Hinc totam
diſſertationem perlegat, & rationes ſemper coniungat o-
mnes precamur, qui de ea iudicium ferre incorruptum
præſumit. *Inciuile* enim *eſt, niſi tota lege perſpecta, vna ali-
qua particula eius propoſita, iudicare vel reſpondere*: vt iam o-
lim monuit Celſus ICtus *in L.24.ff.de LL.* Illos vero quibus 294
audacter calumniari in mores abiit, & ex iis, quæ capite vl-
timo propoſita, occaſionem forte arripere cupiunt, ſuo re-
linquimus loco, & miſericordiæ diuinæ commendamus,
ipſis concoquendi relinquentes locum ex Luthero, Kir-
chen-Poſtill / am Tage der Kirchweihung *p. m. 218.* Da
gehen denn dieſe Worte daher: Wer biſtu denn? wilt du
uns lehren? ſageſtu daß unſere Ceremonien und Kirchen-
Gepränge nichts ſey? Hebe dich du Ketzer / hälteſtu nichts
von unſern Kirchen-Schmuck? hat nicht Chriſtus ſelbſt ge-
ſagt: mein Hauß iſt ein Betthauß? Alſo gehets daher / das
müſſen wir gewarten / und ſo wird es gehen / und nicht an-
ders. Aber mein Chriſtus fraget nichts darnach / er läſt ſie
darüber zancken / zürnen und murren / biß daß ſie auffhö-
ren. Er wohnet gleichwol indeß in ſeinen heiligen Tem-
peln / und weiß daß ſie nichts wiſſen noch verſtehen. Was
können ſie darzu ſagen / unſere Widerſacher / daß Chriſtus
ſpricht / daß die äuſſerlichen Gepränge der Tempel und
Kirchen haben nun auffgehöret / ſo daß itzt die Zeit verhan-
den ſey zu bethen / nicht zu Jeruſalem / auch nicht auff den
Bergen / ſondern im Geiſt und in der Warheit. - - -
Das Volck aber das Chriſto gläubet ſind alle fromm / und
keinem

Digitized by Google

keinem Geſetze/ſonderlich was die Kirchen-Gepränge angehöret/unterworffen. Darum iſt der Tempel oder Kirche itzt bey ihnen nicht zum Gebeth verordnet/ denn ſie werden nicht ſprechn/hie iſts/da iſts. Ja es werden falſche Propheten aufſtehen und ſagen: Siehe hie iſt Chriſtus/ man findet ihn im Tempel mit Händen gebauet. Glaubets nicht/ denn GOTT wohnet nicht in Tempeln/ die mit Händen gemacht ſind/wie Stephanus ſagt und St. Paulus. Dieweil denn nun der HERR in ſeinem Tempel wohnet/ ſo lebet nun nicht der Menſch/ ſondern Chriſtus lebt in ihm/ welcher ſein Hertz und ſeinen Geiſt mit Gnaden ſo durchgoſſen hat / daß er nun hingehe wohin der HERR wil / denn ihr ſeyd nicht euer ſelbſt/ ſpricht St. Paulus/ wir werden von dem Geiſte GOTtes gezogen/ wohin er wil / dem folgen wir auch nach willig und gerne.

SOLI DEO GLORIA.

Q. D. B. V.

IO. SAMVELIS STRYKII, D.

DE

INCOMMODIS FESTORVM,

PROGRAMMA INAVGVRALE.

Digitized by Google

A & Ω.

QVotieſcunque varia illa feſtorum genera, numerumque eorum inſignem apud animum meum perpendo, ſemper in eam quæſtionem prolabor, ſintne feſta illa eccleſiæ Chriſtianæ commoda magis an incommoda? Equidem ſi ex communi aliorum ſenſu reſpondendum, videtur vtique, vſum feſtorum in eccleſia eſſe eximium: ſiquidem, Deo hæc placere inſigniter, conſtare poſſit ex quamplurimis feſtis in veteri teſtamento inter Iudæos ordinatis, vt adeo hic modus Deo complacendi in nouo teſtamento merito retinendus, & potius ambabus, quod dicitur, manibus amplectendus ſit. Cur enim non omnem occaſionem arripiamus laudandi Deum pro infinitis beneficiis ſuis, eiusq; gratiam vlterius exorandi? Accedit, quod quo plura feſta ſunt, eo maiorem occaſionem nanciſcamur animos populi excitandi, eosq; in ſalutari doctrina inſtituendi. Quodſi vero rem hanc penitus introſpicio, & quid commodi reapſe attulerit obſeruatio tot feſtorum, non poſſum non ingenue fateri, hanc vtilitatem mihi ſuſpectam videri, & multo maiora ex feſtis incommoda, quam commoda, quotidie renaſci. Verum vt huius ſententiæ meæ, in iure eccleſiaſtico non exiguum vſum præſtantis, fundamenta oſtendam, pro ſolidiori eius declaratione, vtq; ſtatim conſtet quid ad rationes contrarias reſpondendum ſit, pauciſſimis origo feſtorum erit indaganda. Hic vero, ſi ſacrum codicem euoluimus, nuſpiam inuenitur ante Moſis tempora feſta vlla a Deo præcepta & inſtituta fuiſſe, hoc enim ſi factum fuiſſet, non eſt vero ſimile, Deum hæc nos ignorare, & nulla prorſus veſtigia eius relinquere voluiſſe. Legimus autem, Patriarchas Deum nihilominus ſerio coluiſſe, & cum iis familiariter conuerſatum eſſe Deum, eorumq; cultum approbaſſe, quamuis nulli præciſe tempori aut loco fuerit adſtrictus. Vnde primum illud elicio, Deum in ſe non delectari feſtis, cum alias haud dubie idem quoque a patriarchis exacturus fuiſſet. Populo vero Iudaico ex Ægypti captiuitate educto, cœpit iis feſta præſcribere, & per Moſen ſanctiſſime cuſtodienda mandare. Non inutile ergo eſt inquirere, quid cauſæ fuerit, quod tunc demum feſta in-

ſtituerit

ſtituerit Deus, & non prioribus temporibus,& quod non iudæis quoq; eandem libertatem permiſerit, quam Patriarchis? Scilicet, vt in compendio dicam, incipiebat tum lex illa ceremonialis & Leuitica, tanquam iugum aliquod, ceu ſæpe vocatur in ſcriptura, humeris imponi Iſraelitarum. Non quaſi Deo iucundum eſſet grauare populum ſuum onere,ſed quia in eo ſtatu erat populus,vt propter effrenatam eius libidinem neceſſum fuerit eum retrahere ad obſequium diuinum; frenis enim & jugis vtimur ad compeſcenda animalia. Scilicet non improbabilis,ſed veritati valde conſona eſt ſententia Spenceri, (a) Deum feſta ordinaſſe, vt hac ratione populum a cultu idololatrico, ad quem pronum fuiſſe ex ſacris litteris conſtat, retraheret: Cum enim ex hiſtoriis pateat, multa a gentilibus,maxime vero ab Ægyptiis, feſta Diis ſuis dedicata fuiſſe, populus autem Iudaicus durante captiuitate eiusmodi cultum vident, ipſiq; placuerint ſolennia iſtiusmodi ſacra,Deum ſuccurriſſe infirmitati eorũ, & ipſis quoq; feſta dediſſe,vt ita in obſequio con tinerentur. Quam ſententiam comprobat Chryſoſtomus his verbis: (b) *Cum Iudæorum intellectus ad efficacem Spiritus operationem capiendam non ſufficeret, ſed conſuetudine gentium in ſeruitutem redacti eſſent & circa aras & ſacrificia comprobarentur; Deus dies illos feſtos, etiam idolis colendis dicatos, ad pietatem ordine quodam inſtituendam commutat, eaq; ſuſtinet, quæ ipſi non placebant.* Poſtquam autem ea appropinquaſſent tempora, in nouo teſtamento, vbi ſine coactione, non certo loco & die,ſed omni loco & tempore in ſpiritu & veritate colendus erat Deus, (c) intelligebant Apoſtoli, nunc non tempus eſſe dies & feſta ſeruare, hinc monet Paulus ſuos: (d) *Ne vos quis iudicato in cibo aut potu aut in parte feſti, aut nouilunii aut ſabbathorum, quæ ſunt vmbra futurorum, corpus autem Chriſti.* Sed & illos, qui hanc auream libertatem ſuam flocci habent & ad feſta obſeruanda confugiunt, reprehendit: (e) *Nunc autem poſtquam cognouiſtis Deum, imo poſtquam agniti eſtis a Deo, quomodo conuertimini iterum*

Digitized by Google

reſuſcitatum credunt, perpetuum ſeruare feſtum per totam vitam. (*g*) Hinc & dum contra Tryphonem Iudæum, qui Chriſtianis obiecerat, quod dies feſtos non obſeruent, diſputat Iuſtinus Martyr, fatetur quod ſabbatha & ferias non agant. (*h*) Interim tamen poſt Apoſtolorum tempora primo iam ſeculo Chriſtianos tria feſta obſeruaſſe diem Paraſceuen, Paſchatos, & Pentecoſtes, ex hiſtoria eccleſiaſtica conſtat, ſed magis propter imperitum populum, & ſine neceſſitate legis. (*i*) Feſtum Natiuitatis Chriſti diu poſt Apoſtolorum tempora introductum & dies 25. Decembr. quem hodie obſeruamus, demum in quinto ſeculo ad hoc feſtum deſtinatus. (*k*) Quod vero maiora illa feſta, vt loquimur, per tres dies obſeruauerint in primis ſeculis, veſtigia nulla reperiuntur. Vt adeo conſtet, in primitiua eccleſia feſta pauciſſima fuiſſe obſeruata, quamuis enim ſucceſſu temporis & memoriam martyrum obſeruauerint, dies tamen illi non feſtiui ſeu feriales, ſed tantum memoriales fuerunt, vsq; dum Conſtantinus M. edicto mandauerit, Martyrum dies feſtiue colendos eſſe, (*l*) non ſine leui ſuperſtitionis ſuſpicione. Cum enim ab eo tempore Chriſtiani magis magisq; deflecterent a perpetuo feſto, quod per totam vitam agere conuenit, externa feſta quam plurima inſtituta. Hinc Theodorus Thummius, Theologus Tubingenſis, (*m*) *Vbi* inquit, *ventum eſt ad tempora Auguſtini, Hieronymi, Chryſoſtomi, Cirilli, Heſychii &c. plura acceſſerunt, vt feſtum rogationum, Litaniæ, Circumciſio, Dominica in ramis palmarum, dies cinerum, Inuentio Stephani, Feriæ Michaelis Arch. Cathedra Petri, 40. matyrum, Aduentus Domini, Natiuitas Io. Baptiſtæ, Io. Chryſoſtomi, Thomæ cuiusdam monachi, memoria Cypriani, Stephani Laurentii, Agnetis, Vrſulæ, Euſebii Verecellenſis Epiſcopi &c.* vbi in ſequentibus, quæ feſta ſingulis ſeculis fuerint introducta, recenſet. Conſtat enim, ſub papatu adeo increuiſſe numerum feſtorum, vt maximi pars anni iis conſumatur. Cum ergo diuino ſpiritu agitatus Lutherus noſter opus reformationis aggrederetur, inter alios abuſus in papatu etiam annotauit inconuenientiam & incommoda tot feſtorum in Papatu introductorum, atque deſuper aliquoties in ſcriptis ſuis grauiſſime conqueſtus eſt. Sed & in eo fuit, vt multa tollerentur feſta, quorum tamen non pauca, cum ſolus vno tempore omnes papatus reliquias eradicare non poſſet, nobis reliquit. Hæc eſt ori-

(*g*) Hieronym. *Ep.* 150. *ad Algaſ. qu.* 10. (*h*) *in Dial. cum. Tryphone. p.* 227. *ſeqq.* (*i*) Origines *lib. VIII aduerſ. Celſ. p.* 392. (*k*) Chryſoſtom. *Homil.* 31. *de Nat. Dom.* (*l*) Euſeb, *in vit. Conſtantini, l.* 4. (*m*) *tract. de Feſtis Iudæorum & Chriſtianor. p. m.* 70.

origo feſtorum, & ita eadem ad noſtra vsque tempora translata ſunt. Nunc ergo incommoda eorum vt oſtendam neceſſum eſt.

Videmus quo in papatu prolapſi ſint homines, allecti tot feſtis, ſcilicet, vt hæc feſta neceſſarium religionis & diuini cultus partem ſtatuerint, ipſisque diebus feſtis ſpecialem ineſſe ſanctitatem dixerint quam in rem noſtri Theologi ſe illis oppoſuerunt, oſtendendo, nec ad religionem, nec ad cultum diuinum neceſſaria feſta, ſancta eſſe, retineri tamen quædam ordinis & diſciplinæ cauſa ex mera libertate, (*n*) vbi contra Pontificii conſtanter aſſerunt, neceſſaria eſſe feſta, nec tantum ratione ordinis & diſciplinæ, ſed etiam ratione myſterii. (*o*) Nunc conſideremus, annon hic error papiſticus in noſtra eccleſia iam tacite altas radices egerit. Sane pleriq; in ſacris, quæ feſtis diebus peraguntur, partem cultus diuini conſtituunt. Feſtos dies habent pro ſanctis, tanquam in quibus aliquod myſterium lateat. Quod vel exinde patet, quia dies feſti maiori pompa, maiori celebritate peraguntur, quam dies dominicus. Cum tamen Lutherus noſter expreſſe aſſerat, nullum diem reliquis ſanctiorem & ſacratiorem eſſe, ſed omnes dies nobis debere eſſe ſanctos. (*p*) Eſt hoc *primum* incommodum ſatis inſigne: Ex quo ſtatim *alterum* fluit, quod multitudine feſtorum populus confirmetur in opere operato. Tantum enim externo cultui tribuit maior pars illorum, qui ſe Chriſtianos vocant, vt, ſi gloriari poſſint, ſe nullam concionem negligere nec dominicis nec feſtis diebus, exiſtiment, neminem dubitare amplius debere, quin Deum rite colant, & pro veris Chriſtianis habendi ſint. Sed & *tertium* inde incommodum ſequitur, quod adeo omnia differant ad dies feſtos, vt memoriam eius rei, cuius gratia feſtum inſtitutum, alio tempore plane negligant. Ita in conuentibus publicis de natiuitate Chriſti, paſſione, reſurrectione, aſcenſione, & miſſione ſpiritus ſancti, non agitur communiter, niſi in feſtis eius cauſa conſtitutis, adeo, vt mirum videretur populo, ſi hymnus de reſurrectione Chriſti agens alio tempore in templis cani debe-

Google

magno incommodo reip. Erat hoc medium in papatu, quo cleruſs corradebat bona priuatorum, propter accidentia quæ clerus ex diebus feſtis habet. Recte Lutherus (*q*) **Doch ſollen die Leute unterrichtet werden/ daß ſolche Ferien allein darum gehalten werden/ daß man daran Gottes Wort lerne/ und ob einem Hand-Arbeit fürfiele/ mag er dieſelbe thun.** Vnde & *quintum* conſequitur, quod homines ad otium inuitentur, dum operæ ipſis interdicuntur, cum tamen vulgus hoc tempus piis meditationibus deſtinare non ſoleat. Quin quod pauciſſimi in otio diem feſtum peractis ſacris tranſigant, ſed pleriq; eũ compotationibus, ſaltationibus, & impiis congregationibus id conſumant, quod *ſextum* incommodũ eſt: de quo recte conqueritur Danhauer. (r) his verbis: **Die Leute werden von der Arbeit abgehalten/ im Gegentheil zum Müßiggang/ Tantzen/ Spielen/ Freſſen/ Sauffen und andern Uppigkeiten veranlaſſet.** Nec in dignitate conſtituti id aliter faciunt, qui exiſtimant, feſta non feſtiue celebrari poſſe, ſi non ſplendida inſtituantur conuiuia, & ludendi, ſaltandi exſpatiandique cauſa conveniant. *Septimum* eſt inſignis ille in veſtibus luxus, credunt enim homines hunc quaſi neceſſarium eſſe in feſtis: quicquid enim operis ſuis acquirunt operarii, id omne quaſi in iſtiusmodi veſtimenta impendunt. Sane, ſi feſta non eſſent, haud exiguam pecuniæ ſummam lucrari homines poſſent. Recte ergo ſenſit Polydorus Vergilius: (*ſ*) *Dies alii aliis feſti feſtis ex paruis quandoq; cauſis accumulati ſunt: id quod haud ſcimus an expedierit, quum præſertim videamus, eo rediiſſe Chriſtianorum mores, vt quam olim ex religionis vſu erat hæc inſtituere, tam NVNC PRAESTARE VIDEATVR EADEM ANTIQVARE, quum bona pars hominum otium iſtud feſtorum dierum, non ad orandum, non ad diuina ſcripta audienda, cuius rei cauſa datum eſt, ſed ad omnifariam bonorum morum corruptelam augendam indictis magis magisq; impudenter conſumat. - - Atq; ita belle Ethnicos perinde hac in re vt in nimis multis aliis æmulamur, quod tantum abfuit vt maiores noſtri fecerint, vt etiam illud ipſum audacter ethnicis vitio dederint, teſte Tertulliano in Apologetico.* Neq;, quas pro vtilitate feſtorum ſtatim in principio adduxi, rationes vllius momenti ſunt, ſiquidem falſum eſt Deo feſta placere, placet ipſi, ſi homines ſecundũ voluntatem eius viuant, quod ſi de ſit, etiam ipſa feſta maximopere diſplicent. *Odi*, inquit Deus per prophetam, (*t*) *abominor feſta veſtra, nec odorabor ceſſationes veſtras.* Vt alia loca taceam. (*u*) Quis crediderit adeo Deum abomi-

nari

(*q*) *Tom. IV. Ienenſ. fol. 342. b.* (*r*) *Catechiſmus*-**Milch** *Conc. 39 p. 557.* (*ſ*) *Tr. de Inventor. Rer. l 6. c. 8.* (*t*) *Amos V 21. ſeqq* (*u*) *Eſ. I. 11. Ier. VI. 20. Mal II 2.*

nari feſta ab ipſo inſtituta? quomodo ergo placebunt Deo feſta noſtra, qui ne quidem mandatum diuinum habemus, vt Iudæi? Si dixeris tollantur vitia & abuſus: reſpondeo tollantur; ſed videbis tolli non poſſe. An ergo, pergis, negligenda occaſio Deum laudandi? Non. Sed an laudari non poteſt Deus etiam ſublatis feſtis? Annon quotidie laudandus? Bonum tamen eſt, inſtas, populum ſæpius publice admoneri: recte, ſed hoc fieri poteſt ſine feſtis. Quotidie hoc faciendum, non tantum concionibus, ſed & catechiſationibus, vt vocantur, & viſitationibus domeſticis: ſed hæc ipſa communiter negliguntur, vtut plus commodi conferant quam conciones. Cum itaq; tot ſint incommoda feſtorum & quaſi mala neceſſaria, quæ tolli alias non poſſunt, boni Principis eſſe exiſtimo diminuere numerum feſtorum, & quantum poteſt fieri reſtringere, cultum vero publicum & priuatum nihilominus ampliorem reddere.

Hæc autem nunc prolixius proſequi inſtituti ratio non permittit, dedit autem mihi occaſionem iſta diſſerendi clariſſimus Candidatus CONRADVS LVDOVICVS WAGNERVS, dum diſſertationem ſuam inauguralem DE IVRE SABBATHI publicæ luci exponit. Natus is eſt in celeberrima vrbe *Brunſuicenſi* die XII. Auguſt. Anno MDC LXXIX. ex parentibus honeſtiſſimis, patre clariſſimo viro, *Wernero Wagnero* Sereniſſ. Ducum Brunſuicenſium in Præfectura ab Ilice dicta, vulgo Eichgerichte / Præfecto, & matre *Lucia Catharina Hausmannia*, Conradi Hausmanni, Paſtoris & Superintendentis quondam meritiſſimi in oppido Ahlen/ filia, femina honeſtiſſima. A quibus parentibus, cum animaduerterent, filium non ad plebeias operas, ſed ad altiora ſtudia natum, optimoque ingenio a Deo donatum eſſe omni ſollicitudine educatus eſt. Hinc vt in Chriſtianiſmi pariter & bonarum litterarum ſtudiis ſolida hauriret principia, ſumma induſtria curarunt, nihilque omiſerunt, quod ad præparandum poliendumque animum ipſius vlla ratione pertinere poſſet. Quem in

dictam, petiit, atque, Anno MDCXCIX. d. VI. Martii, in album & numerum ſtudioſorum receptus eſt. Hic vero iurisprudentiæ ſtudio ſe conſecrare cœpit: cuius elementa & principia hauſit ductu inprimis Excellentisſimi ICti *Io. Eiſenharti*, qui & hoſpitio ſuo & conuictu eum recepit, cuiusque ſingularem humanitatem, dexteritatem, & fidem, gratisſima adhuc mente colit. Poſitis in laudata Academia fundamentis in iure, peracto integro anno, noſtram ſalutauit Academiam, atque Anno MDCC. finito Paſchatos feſto in numerum ciuium noſtrorum receptus. Hic vero totus in eo fuit, vt iactis fundamentis totum ædificium ſuperſtrueret, & quicquid in iurisprudentia reliquum erat abſolueret. Quem in finem præcipue interfuit collegiis, tam publicis, quam priuatis, *venerandi parentis mei*, eoque duce omnes iuris partes, totumque, vt vocant, curſum, abſoluit. Sed & reliquorum coniunctiſſimorum collegarum operis vſus eſt, & Excellentiſſimum *Thomaſium*, iurisprudentiam diuinam priuatim explicantem, audiuit ſedulo, & lectionibus eius publicis etiam vſus; nec minus meis qualibuscunque laboribus induſtrius comes adfuit. Quibus iunxit Philoſophica ſtudia interprete celeberrimo *Buddeo*, & collegium practicum apud conſultiſſimum *Schubartum* Profeſſorem iuris extraordinarium. Sed ne in obſcuro agere videretur, ſed periculum ipſe faceret profectuum ſuorum, placuit ipſi Diſſertationem *De Iure Liciti ſed non Honeſti* magno ſtudio conſcriptam, ſub meo Præſidio publico examini ſubmittere d. III. Februarii huius anni. Quam non modo maſcule defendit, ſed elaboratione eius ſimul oſtendit publice, ſe non meris legibus Romanis incubuiſſe, ſed & veræ iurisprudentiæ ſolidiſſimisq; boni & æqui principiis operam nauaſſe. Tandem cum valedicendum ipſi fuerit Academiis, ſuaſu aliorum, non ex ambitione, a qua, propter ſingularem modeſtiam ſuam, quam toto tempore quo hic fuit, abunde probauit, alienus ante trimeſtre ſpatium me, tum collegii Iureconſultorum Decanum, acceſſit, deſideriumque ſuum expoſuit, atque, vt ad conſueta examina, Candidatis Iuris ſubeunda, admitteretur, petiit. Annuit Collegium noſtrum ipſius petito, eumque admiſit, & tales in vtroque examine deprehendit profectus eius, vt non dubitauerit, viam ipſi ad maiores honores pandere. Nihil ergo ſupererat, quam vt publicum adhuc eruditorum examen ſubiret, quam in rem diſſertationem inauguralem, vt iam ſupra dixi, *De Iure Sabbathi*, ſummo ſtudio, ſummaque diligentia, conſcripſit, eam die XVII. huius menſis publice defenſurus.

Huic itaque ſolenni actui vt Patres & Ciues Fridericianæ noſtræ frequentes intereſſe, eumque expectatiſſima præſentia ſua illuſtriorem reddere haud dedignentur, eo quo poſſum cultu & ſtudio, etiam atque etiam contendo. Halæ Magdeb. d. XI. Nouembris

M DCCII.

VAI 152347|